

| Quia *theologia* est scientia in qua est *sermo de Deo* et de rebus divinis, ut dicit AUGUSTINUS VIII^o *De civitate Dei* — dicitur enim theologia quasi ‘deologia’ a ‘Theos’ Graece, quod est ‘Deus’ Latine, et ‘logos’, <quod est> ‘sermo’ vel ‘ratio’, quasi sermo vel ratio de Deo et de rebus divinis —, ideo quaeritur hic primo quomodo theologia de Deo et de rebus divinis sit scientia; secundo quomodo in ea de Deo et de rebus divinis locutio sit habenda; tertio quae et qualia in ea de Deo et de rebus divinis sint cognoscenda. Ut autem iuxta processum AUGUSTINI et eius intentionem in libris *De Academicis* «*argumenta eorum quae multis ingerunt veri inveniendi desperationem*», dicentium scilicet «*omnia esse incerta*» et «*nihil posse sciri*», «*quantis possumus rationibus amoveantur*», paulo altius ordiendi quaerendum est hic primo de scientia et scibili communiter et in generali; secundo de scientia et scibili propriis theologiae in speciali. | Et quia sacra scriptura solummodo ad hominis instructionem tradita est secundum APOSTOLUM dicentem: «*quaecumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt*», ideo omnia hic dubitanda ad scientiam humanae instructionis sunt referenda.

Quantum igitur pertinet ad possibilitatem humanae cognitionis, circa primum praedictorum quaerenda sunt hic quinque: primum de possibilitate sciendi; secundum de modo sciendi; tertium de qualitate scibilium; quartum de appetitu sciendi; quintum de studio sciendi.

ARTICULUS I

DE POSSIBILITATE SCIENDI

Circa possibilitatem sciendi quantum ad hominem pertinet, quaerenda sunt hic duodecim: primum, si contingat hominem aliquid scire; secundum, si contingat hominem aliquid scire sine divina illustratione; tertium, si homo cognoscat lucem divinam qua cognoscit alia; quartum, si contingat hominem scire a natura an ab acquisitione; quintum, si contingat hominem acquirere scientiam per se ipsum;

ARTICULUS I

sextum, si contingat hominem acquirere scientiam alio homine docente; septimum, si homo acquirat scientiam Deo in quolibet actu discendi docente; octavum, si contingat hominem acquirere scientiam angelo docente; nonum, si acquirens per se scientiam potest dici se ipsum docere; decimum, si contingat hominem acquirere scientiam nihil praesciendo; undecimum, si notitia praecedens | omnem scientiam acquisitam sit homini innata; duodecimum, si contingat hominem aequo primo sine discursu cuiuslibet rei scientiam acquirere. |

QUAESTIO 1

UTRUM CONTINGAT HOMINEM ALIQUID SCIRE

Circa primum istorum arguitur quod non contingit hominem scire quidquid.

Primo ex parte modi sciendi sic. Quidquid scit homo scit ex priori et notiori sibi, I^o Posteriorum et I^o Physicorum. Sic autem non contingit eum scire aliquid nisi sciendo illud per prius et notius eo, et eadem ratione illud per aliud prius et notius illo, et sic in infinitum. Sic autem procedendo ad scientiam nihil contingit scire omnino, secundum | PHILOSOPHUM II^o Metaphysicae. Ergo etc.

Secundo ex parte medii quo scitur sic. Omnis humana cognitio intellectiva ortum habet a sensu, I^o Metaphysicae et II^o Posteriorum. Sed *«a sensibus corporis sincera veritas non est expetenda»* secundum AUGUSTINUM 83 Quaestionum q.^e 9^a. Ergo cognitione intellectiva non potest homo scire sinceram | veritatem. Sed non contingit hominem scire nisi sciendo sinceram veritatem, quia nihil scitur nisi verum, I^o Posteriorum, et non est veritas nisi sit sincera, id est, pura a falsitate secundum AUGUSTINUM 83 Quaestionum q.^e 1^a. Ergo etc. |

Tertio ex eodem medio arguebant negantes | scientiam, sicut habetur IV^o Metaphysicae, sic. Sensus nihil certi apprehendit de re, quia si aliquid apparet uni de re aliqua, contrarium eius apparet alteri de eadem, et quod apparet uni in uno tempore et in una dispositione, contrarium eius apparet eidem in alio | tempore et in alia dispositione. Quare cum intellectus nihil apprehendit nisi a sensu, intellectus nihil certi potest apprehendere de re quacumque. Non potest autem esse scientia nisi apprehendendo aliquid certum et determinatum secundum PHILOSOPHUM VI^o Metaphysicae. Ergo etc.

Quarto ex parte scibilis, et est similiter argumentum eorum IV^o Metaphysicae, sic. Scientia non est nisi de fixo et permanenti secundum BOETHIUM I^o | Arithmeticae. In rebus autem | sensibilibus, ex quibus habetur omnis humana cognitio mediante sensu, non est aliquid fixum aut permanens secundum AUGUSTINUM, qui dicit 83 Quaestionum q.^e 9^a, | «*Quod sensibile dicitur sine ulla intermissione temporis commutatur*». Ergo etc.

Quinto ex parte scientis, et est argumentum MENONIS quo negabat scientiam in principio Posteriorum, ut dicit COMMENTATOR super IX^{um} Metaphysicae, sic. «*Nemo addiscit nisi qui aliquid novit*», secundum AUGUSTINUM III^o De Academicis et PHILOSOPHUM IX^o Metaphysicae. Qui autem aliquid novit non addiscit, quia | «*discere est motus ad sciendum*». Nemo ergo est qui aliquid addiscit. «*Nemo autem potest habere disciplinam qui nihil didicit*», secundum AUGUSTINUM ibidem. Ergo etc.

Sexto arguitur ex eodem medio aliter formando argumentum sic. «*Nihil addiscit qui nihil novit. Non potest autem habere disciplinam qui nihil addiscit*». Ergo «*non potest habere disciplinam qui nihil novit*». Homo quilibet ab initio nihil novit, quia intellectus humanus, antequam recipiat species, est «*sicut tabula nuda in qua nihil depictum est*», ut dicitur in III^o De anima. Ergo etc.

Septimo ex parte obiecti sic. Ille non potest scire rem qui non percipit essentiam et quidditatem rei, sed solum idolum eius, quia non novit Herculem qui solum vidit picturam eius. Homo autem nihil percipit de re nisi solum idolum eius ut speciem receptam per sensus, quae idolum rei est, non ipsa res. «*Lapis enim non est in anima, sed species lapidis*». Ergo etc.

In contrarium arguitur primo argumento COMMENTATORIS super principium IIⁱ Metaphysicae sic. «*Desiderium naturale non est frustra*». «*Homo*», secundum PHILOSOPHUM in principio Metaphysicae, «*natura scire desiderat*». Ergo desiderium hominis ad scire non est frustra. Esset autem frustra, nisi contingeret eum scire. Ergo etc.

Secundo ex eodem medio aliter formando argumentum sic. Quod homo naturaliter desiderat possibile est ei contingere. Secundum enim quod | dicit AUGUSTINUS IV^o Contra Iulianum, «*Neque omnes homines naturali instinctu beati esse vellemus nisi esse possemus*». «*Homo naturaliter scire desiderat*». Ergo etc.

Tertio adhuc quasi ex eodem medio sic. Unumquodque potest attingere suam perfectionem ad quam naturaliter ordinatur, quia aliter esset frustra. Scire est hominis perfectio ad quam naturaliter ordinatur,

quia «in scientia *speculativa* consistit eius *felicitas*», secundum PHILOSOPHUM X^o *Ethicorum*. Ergo etc.

Quarto sic. PHILOSOPHUS dicit III^o et IV^o *Metaphysicae* et II^o *Caeli et mundi*: Quod non potest compleri impossibile est ut incipiat fieri ab agente per naturam vel per rationem, quia omnis motus habet finem et complementum propter quem est. Sed secundum eundem I^o *Metaphysicae* «*homines philosophati sunt et prudentiam primo inceperunt investigare propter id quod est scire et intelligere et fugere ignorantiam*». Possibile est ergo hominem scire et intelligere.

Quinto sic. Secundum AUGUSTINUM *De vera religione*, «*qui dubitat an contingat aliquid scire se dubitare non dubitat, | sed certus est*». Non est autem certus nisi de vero quod scit. Ergo illum qui dubitat se scire necesse est concedere se aliquid scire. Hoc autem non esset, nisi contingeret eum aliquid scire | cum contingit eum dubitare. Ergo etc.

Sexto quasi eadem via arguunt PHILOSOPHUS et eius COMMENTATOR IV^o *Metaphysicae* sic. Qui | negat scientiam esse dicit in hoc quia certus est quod non est scientia; et non est certus nisi de aliquo quod scit; ergo qui negat scientiam esse et quod hominem non contingit scire necesse habet concedere scientiam esse et quia contingit hominem aliquid scire. | Et est haec ratio consimilis rationi illi qua PHILOSOPHUS concludit in IV^o *Metaphysicae* quod illum «*qui negat loquelam esse necesse est concedere loquelam esse*». |

<SOLUTIO>

Dicendum quod scire large accepto ad omnem notitiam certam qua cognoscitur res sicut est absque omni fallacia et deceptione, et sic | intellecta et proposita quaestione contra negantes scientiam et omnem veritatis perceptionem, manifestum est et clarum quia contingit hominem scire aliquid, et hoc secundum omnem modum sciendi et cognoscendi. Scire enim potest aliquis rem aliquam dupliciter: vel testimonio alieno et exteriori vel testimonio proprio et interiori.

Quod primo modo contingit aliquid scire, dicit AUGUSTINUS contra ACADEMICOS XV^o *De Trinitate* cap.^o 12^o. «*Absit*», inquit, «*ut scire nos negemus quae testimonio didicimus aliorum. Alioquin nescimus oceanum nec scimus esse terras atque urbes, quas celeberrima fama commendat; nescimus fuisse homines et opera eorum, quae historica lectione didicimus; postremo nescimus in quibus locis vel ex quibus hominibus fuerimus exorti, quia haec omnia testimoniis | didicimus | aliorum*».

Quod autem secundo modo contingit aliquid scire et rem

percipere sicuti est, manifestum est ex eis quae experimur in nobis et circa nos, et hoc tam in cognitione sensitiva quam intellectiva. In cognitione enim sensitiva sensus ille vere rem percipit, | sicuti est sine omni deceptione et fallacia, cui in actione propria sentiendi suum proprium obiectum non contradicit aliquis sensus verior vel intellectus acceptus ab alio sensu veriori, sive in eodem sive in alio. Nec de eo quod sic percipimus dubitandum est quin percipiamus ipsum sicuti est. Nec oportet in hoc aliquam aliam ulteriorem causam certitudinis quaerere, quia, ut dicit PHILOSOPHUS, «*quaerere rationem cuius habemus sensum, | infirmitas intellectus est; cuius enim dignius habemus aliquid quam rationem, non est quaerenda ratio*». Experimentum enim sermonum verorum est ut conveniant rebus sensatis. Hinc est | quod dicit AUGUSTINUS ubi supra: «*Absit a nobis ut ea quae per sensus corporis didicimus vera esse dubitemus. Per eos enim didicimus caelum et terram et ea quae in eis nobis nota sunt*». Hinc etiam TULLIUS in libro suo De Academicis, volens probare contra Academicos quia contingit aliquid certitudinaliter scire, dicit sic: «*Ordiamur a sensibus, quorum ita clara iudicia et certa sunt ut si optio naturae detur, non videam quid quaeratur amplius. Meo iudicio maxima est in sensibus veritas, si et sani sunt ac valentes et omnia removentur quae obstant et impediunt. Aspectus ipse fidem facit sui iudicii*».

De fide vero in cognitione intellectiva, quia contingit per eam aliquid vere scire sicuti est, statim subiungit ibidem dicens: «*At qualia sunt haec quae de sensibus percipi dicimus, talia sequuntur ea quae non sensibus percipi dicuntur, ut haec 'ille est albus, ille est canus'. Deinde sequuntur maiora, ut 'si homo est, animal est'. Quo ex genere notitia rerum nobis imprimitur*».

Cognitione igitur intellectiva, sicut iam dictum est de cognitione sensitiva, intellectus ille vere rem percipit, sicuti est sine omni deceptione et fallacia, cui in actione propria intelligendi non contradicit intellectus verior vel acceptus a sensu veriori. Nec de tali intellectu plus dubitandum est quam de sensu. Unde AUGUSTINUS ubi supra: «*Cum duo sunt genera rerum quae sciuntur, unum eorum quae per sensus corporis percipit animus, alterum eorum quae per se ipsum, multa illi philosophi (loquitur de ACADEMICIS) garrunt contra | corporis sensus, cum tamen quasdam firmissimas per se ipsas | perceptiones rerum verarum nequaquam in dubium vocare potuerunt, quale est illud, 'scio | me vivere'*». «*In quo non metuimus ne aliqua veri similitudine fallamur, quoniam certum est eum qui fallitur vivere*». «*Ubi nec Academicus dicere potest: 'fortassis dormis et nescis et in somniis vides,' quia nec in ea scientia per somnia falli potest, quia et dormire et in somniis videre viventis est. Nec illud Academicus dicere potest: 'furis fortassis et nescis,' quia sanorum visis similia sunt etiam | visa furentium. Sed qui furit vivit, nec contradicit Academicus. Non ergo fallitur nec mentiri potest qui dixerit scire se vivere*». Nec de hoc alia

probatio requirenda est quam illa quae habetur ex exercitio intellectus et per signa evidentia a posteriori, qualia inferius ponentur. |

Contra hoc tamen antiquitus vigeant septem errores, tam | ex parte sensus, tam ex parte intellectus, quorum quinque reprobant PHILOSOPHUS IV^o *Metaphysicae*, illorum scilicet errorem qui negabant scientiam negando illud principium scientiale «*de quolibet affirmatio vel negatio, et non simul de eodem*». Sextum vero, qui erat MENONIS negantis hominem posse addiscere, reprobant in principio *Posteriorum*. Septimum autem, qui erat Academicorum negantium veri perceptionem, reprobant AUGUSTINUS et TULLIUS in libris suis *De Academicis*.

Eorum autem contra quorum errores disputat PHILOSOPHUS in IV^o *Metaphysicae*, quidam dicebant quod omnia essent falsa, quidam vero quod omnia essent vera, alii vero quod omnia essent vera et falsa simul.

Eorum vero qui dicebant quod omnia essent falsa, quidam rationem opinionis suae acceperunt ex parte rei, ut ANAXAGORAS et XENOPHANES, qui dicebant quod «*omne esset | admixtum cum omnibus*», quia videbant omne fieri ex omni, «et illud *mixtum dicebant esse neque ens neque non ens*, et quasi *neutrum extremorum*, sed *medium* per abnegationem inter ipsa», et ideo impossibile esse ut aliquid aestimetur vere, sed quod omnes aestimationes essent falsae, et quod sic non esset scientia de aliquo, quia scientia solum verorum est, ut dicitur I^o *Posteriorum*.

Isti errabant non distinguendo ens in potentia ab ente in actu. «*In potentia enim contraria et contradictoria sunt simul, non autem in actu*». Circa entia enim in actu solummodo est distinctio contrariorum et contradictoriorum, quod scilicet aliquid sit determinate hoc et non illud, per quod est determinata veritas et scientia de aliquo, quod sit ipsum et non aliud.

Alii vero dicebant quod omnia essent falsa, sumentes rationem suam ex parte sensus, ut DEMOCRITUS et LEUCIPPUS, qui dixerunt quod «*idem sentitur a quibusdam quidem dulce et a quibusdam amarum*», et quod «*isti non differunt nisi secundum multitudinem et paucitatem, quia scilicet illi quibus videtur dulce sunt plures et sani, quibus vero amarum, sunt pauci et infirmi*». Nihil ergo, | ut dicebant, est in rei veritate determinate tale vel tale, immo quodlibet nec tale est nec tale, et sic nihil est verum, sed omnia sunt falsa, et non est omnino scientia. «*Causa erroris istorum erat quia aestimabant quod intellectus et sensus idem essent et scientia a sensu comprehenderetur. Unde cum eis visum fuit quod sensibilia diversam habent dispositionem apud sensum nec | aliquid certi sentiretur, crediderunt quod nec aliquid certe sciretur*». |

Horum opinioni annexa fuit opinio ACADEMICORUM, de qua dicit AUGUSTINUS quod *«affirmabant ab homine nihil veri aut certi percipi posse»*, non tamen hominem debere cessare a veritatis inquisitione, *veritatem autem dicebant aut solum Deum nosse aut fortasse animam | hominis exutam corpore, et quod hoc intendebant de rebus tantum quae pertinent | ad philosophiam, | de aliis autem non curabant.*

Ratio eorum, secundum quod recitat AUGUSTINUS, fuit quia dicebant *«solum his signis verum posse cognosci quae non possent habere rationem falsi»*, ita quod verum a falso dissimilibus notis discerneretur nec haberet cum falso signa communia, et sic id quod verum est falsum apparere non posset; talia autem signa inverniri posse, impossibile esse credebant; | et ideo concludebant quod veritas propter quasdam naturae tenebras vel non esset vel obruta et confusa nobis lateret. Unde et dixit DEMOCRITUS, ut habetur IV^o *Metaphysicae*: *«aut nihil omnino est verum, aut quod non monstratur nobis»*.

Alii autem, ut AMFRATHAGORAS et eius sequaces, dicebant *omnia* esse vera et falsa *simul*, dicendo quod *«non | esset veritas extra animam»* et quod illud quod apparet extra non est aliquid quod est in ipsa re in tempore quo apparet, sed est in ipso apprehendente. Unde omnino negabant res habere esse extra animam, et ideo oportebat illos dicere quod duo contraria essent simul vera, non tantum secundum diversos apprehendentes secundum eundem sensum, sed etiam secundum eundem secundum diversos sensus et secundum eundem sensum diversimode dispositum, quia quod apparet uni mel secundum gustum, alteri apparet secundum gustum non mel, et quod *«uni apparet mel secundum visum, apparet eidem non mel secundum gustum, et quod alicui apparet per oculos unum, mutato situ oculorum apparet ei duo»*. Ex quo concludebant quod nihil determinatum appareret nec esset aliquid verum determinatum, et quod ideo omnino non esset scientia.

Alii vero, ut HERACLITUS et sui sequaces, dixerunt quod omnia sunt simul vera et falsa, *«quia aestimabant quod tantum sensibilia essent entia et quod ipsa non essent determinata in esse suo, sed continue transmutata, et quod sic nihil | in eis maneret idem in rei veritate»*, sed | essent in eis simul ens et non ens, et de eodem, quia motus componitur ex esse et non esse, et omnis transmutatio media est inter ens et non ens. Propter quod ulterius dixerunt quod *«non oporteret respondere ad quaestionem 'sic' aut 'non'»*. Unde et *«Heraclitus in fine vitae suae opinabatur quod non oporteret aliquid dicere, sed tantum movebat digitum»*. Ex quo movebantur ad dicendum quod de nullo scientia acquiri posset ab homine.

Opinio MENONIS et quorundam PLATONICORUM erat quod nemo posset aliquid addiscere et quod ideo nemo posset aliquid scire, ut

supra dictum est in quinto et sexto argumento.

Defectus | rationum istarum opinionum patebit statim in dissolvendo argumenta. |

Sed contra positionem omnium eorum principalem, quia negans scientiam destruit omnem fidem et totam philosophiam, ut dicit PHILOSOPHUS IV^o *Metaphysicae*, impossibile est disputare demonstrando scientiam esse et aliquid posse sciri, quia negant omnia sciendi principia, sed tantum utendum est in defensione scientiae contra ipsos sermonibus veris et valde probabilibus quos non possunt negare. Ex talibus igitur sermonibus per tria aperta inconvenientia sequentia ex dicto ipsorum convincit eos TULLIUS in libro suo *De Academicis*, quorum primum sumitur ex scientiis artificialibus, secundum ex actibus virtutum, tertium ex operibus humanae conversationis.

Primum inducit sic. *«Ars omnis ex multis perceptionibus sit. Quas si substraxeris, quomodo distingues artificem ab inscio? Quid enim est | quod arte effici potest, nisi is qui artem tractabit multa perceperit?»* Unde dicit AUGUSTINUS *De vera religione*: *«nihil aliud esse artem vulgarem nisi rerum expertarum memoriam».* |

Secundum inducit sic. *«Quaero: vir ille bonus qui statuit omnem cruciatum perferri potius quam officium perdat aut fidem, quomodo fieri potest ut nullum supplicium recuset, nisi his rebus assensus sit quae falsae esse non possunt?»*

Tertium inducit sic. *«Quomodo suscipere aliquam rem aut agere fideliter audebit cui certum nihil erit quid sequatur, ultimum | bonorum ignorans quo omnia referantur?»* De hoc ponit bonum exemplum PHILOSOPHUS IV^o *Metaphysicae*. Ambulans enim, ut dicit, *«ambulat et non stat, quia opinatur | quod ambulandum est, et non vadit per viam ad puteum stantem in via, sed evitat ipsum. Scit enim quia casus in puteum est malus».*

<AD ARGUMENTA>

Rationes igitur probantes quod contingit aliquid scire concedendae sunt. Ad rationes vero in oppositum respondendum per ordinem. |

Ad primum, quod «omnis scientia est ex priori et notiori», etc., dicendum quod ille modus acquirendi scientiam intelligendus est solummodo de scientiis conclusionum. Principia enim per se primo et immediate cognoscuntur, non per alia, quia non habent alia notiora se. Non distinguuntur igitur notum per se ab illo quod est | notum per aliud, illis solummodo contingit ille processus in infinitum et nihil scire, et non aliis. |

Ad secundum, quod «*a sensibus corporis non est expetenda sincera veritas*», dicendum quod verum est ubique et in omnibus sequendo iudicium sensus, et hoc propter duo ex quibus AUGUSTINUS arguit quod «*iudicium certum non est constitutum in sensibus*», quorum primum est rerum sensibilibus mutabilitas, secundum est ipsius sensus fallibilitas. Apprehensione autem facta per sensus, avertendo a sensibus, ut iudicium fiat in ratione, quod summe monet fieri AUGUSTINUS in inquisitione veritatis, «*bene a sensibus sincera veritas | expetenda est*», et hoc quantum ex puris naturalibus iudicio rationis in lumine puro naturali potest conspici vel simpliciter iudicio intellectus in claritate lucis aeternae. De qua | sinceritate in iudicio rationis sequentis sensum loquitur AUGUSTINUS ad litteram, secundum quod de utroque modo conspiciendi veritatem videbitur inferius. Ex sensu ergo originaliter bene est expetenda sincera veritas quodammodo, quoniam «*sensus proprii est certissima cognitio circa suum proprium obiectum*», nisi impediatur vel ex se vel ex medio vel ab aliquo alio, nec contingit cessante omni impedimento ipsum errare sive aliter apprehendere suum proprium obiectum quam sit, licet talis apprehensio non sit mansiva vel propter rei vel ipsius sensus mutabilitatem ut certa veritas diu capi non possit stando omnino in iudicio sensus. Id tamen quod apprehensum est per sensum non deceptum abstrahendo et iudicium formando penes intellectum, ubi manet quasi sine transmutatione quod apprehensum est nec verisimilibus speciebus phantasmatum obumbrari potest, certissima veritas a tali sensu capitur, et nobis certissima scientia est illa rerum sensibilibus quae ad sensus experientiam potest reduci. Unde | sensum dimittentes et eius iudicium penitus abnegantes frequenter | in absurdissimos errores apud intellectum sophisticis rationibus decepti inciderunt, sicut ZENO, qui dixit quod «*nihil contingit moveri*», et quicumque dixit quod «*moto uno moventur omnia*». Unde semper oportet credere sensui particulari non impedito, nisi alius sensus dignior in eodem alio tempore vel in alio eodem tempore contradicat vel virtus aliqua superior percipiens sensus impedimentum. | Non enim sensus aequae bene dispositi sunt in omnibus vel in eodem diversis temporibus, et ideo non aequaliter iudicio eorum credendum est, ut patet in sano et aegro. Magis enim credendum est gustui sani quam aegri, et ei qui videt aliquid de prope quam qui videt a longe, et ei qui videt aliquid per medium uniforme quam | ei qui videt per medium non uniforme, et sic de ceteris huiusmodi dispositionibus. |

Ad tertium, quod idem saepius apparet diversimode eidem vel diversis, dicendum quod non sequitur ex hoc quod nulli sensui credendum est, quia, ut dictum est, in quo unus fallitur alter frequenter

verum dicit, vel in quo idem fallitur in una dispositione verum dicit in alia. Et sic patet quomodo deficiebat ratio DEMOCRITI. Licet enim sensibilia habent diversam dispositionem apud sensum, aliquid tamen determinate percipitur per sensum | non deceptum in hora in qua non decipitur. Et non solum differunt sensationes penes paucitatem et multitudinem sentientium, sed secundum dignitatem maiorem et minorem | sensuum in sentiendo. |

Similiter patet defectus rationis ACADEMICORUM. Non enim verum est dictum eorum quod nihil percipitur determinate per signa et quod non verificant de re, immo signa quae sunt propria sensibilia alicuius sensus, id quod sunt ostendunt sensui proprio non decepto nec impedito et in determinatam notitiam veritatis rei possunt intellectum inducere. Unde et ipsimet solliciti erant in inquirendo veritatem per huiusmodi signa magis quam alii, licet aestimatio eorum erat quod veritatem numquam possent invenire. Et erat aestimatio eorum similis in hoc ei quod currere aliquem ad apprehendendum aliquid quod numquam apprehendet, sicut improperat eis PHILOSOPHUS IV^o Metaphysicae. Cetera vero pertinentia ad eorum opinionem amplius declarabuntur | in quaestione proxima sequenti.

Per idem patet falsum esse quod assumpsit AMFRATHAGORAS, quod res sequuntur sensuum apparentias, quoniam sensus, sive verus sive deceptus, non potest sumi nisi a re, quia «*sensus est virtus passiva*». Unde et quamvis idem diversimode apparet eidem vel diversis, hoc non est nisi propter deceptionem vel impedimentum alicuius sensus cui non oportet credere in hoc, nec tamen propter hoc dicendum est quod nulli sensui credendum est. Sensui enim non decepto omnino oportet credere et quis sit talis maxime habet iudicare intellectus ex pluribus experimentationibus praehabitis | circa illa in quibus sensus potest decipi vel impediri. |

Ad quartum, quod omnia sensibilia sunt in continua transmutatione, dicendum quod HERACLITIANI, quorum illa fuit ratio, «*solum sensibilia credebant esse entia*», et erat error omnium philosophantium usque ad tempora Italicorum, qui unanimiter negabant scientiam esse propter mutabilitatem rerum sensibilibus naturalibus. Quorum errorem percipientes posteriores philosophi ponebant scientiam esse et aliquid posse sciri in rebus sensibilibus naturalibus. Sed in modo sciendi et acquirendi scientiam diversificati sunt. PYTHAGORAS enim, primus Italicorum, credens cum praecedentibus quod de rebus naturalibus propter earum transmutationem ex eis ipsis non posset haberi scientia, ut tamen salvaret | aliquo modo scientiam rerum naturalium, mathematica induxit in naturalibus, ponendo ipsa principia

et causas rerum naturalium tam in esse quam in cognitione, eo quod per abstractionem suam a materia sensibili et transmutabili quodammodo sunt intransmutabilia. PLATO autem posterior | PYTHAGORA, videns mathematica secundum rem inesse naturalibus et ideo realiter mutari cum naturalibus quantumcumque abstrahantur ab eis, nec per mathematica de naturalibus fixam posse haberi scientiam, posuit formas ideales causas et principia rerum naturalium tam in esse quam in cognitione, et omnino | separatas ab eis et absque omni transmutatione, ut sic per illas de transmutabilibus intransmutabilis possit esse scientia. omni transmutatione, ut sic per illas de transmutabilibus intransmutabilis possit esse scientia. |

ARISTOTELES autem, videns quod res nec habet esse nec cognosci nisi per id quod est in re, et quod singularium propter eorum transmutationem non posset esse scientia ex se ipsis, posuit | universalialia, genera scilicet | et species, abstrahi per intellectum a singularibus in quibus habent esse secundum veritatem. Universale enim est unum in multis et de multis, quae, licet ut in singularibus sunt, sunt transmutabilia, ut tamen sunt in intellectu, sunt intransmutabilia. Et secundum hoc de rebus naturalibus, sensibilibus, particularibus, transmutabilibus per eorum universalialia existentia apud intellectum posuit fixam haberi scientiam.

AUGUSTINUS autem *philosophia Platonis imbutus, si qua invenit in ea fidei accommoda*, in scriptis suis *assumpsit*. *Quae vero invenit fidei adversa*, quantum potuit, *in melius* interpretatus est. Et ideo cum, ut dicit in libro 83 *Quaestionum*, q.^e 44^a, «*sacrilegium* videbatur esse *opinari* ideas rerum poni extra divinam mentem, quas ipsa *intueretur ad constituendum quae constituebat*», quod tamen ARISTOTELES PLATONI imposuit, dixit PLATONEM eas posuisse in divina intelligentia et ibi subsistere, secundum quod dicit VIII^o *De civitate Dei* cap.^o 4^o: «*Quid in his | Plato senserit, id est, ubi finem omnium actionum, ubi causam omnium naturarum, ubi lumen omnium rationum esse cognoverit vel crediderit, temere affirmandum esse non arbitror. Fortassis enim qui prae ceteris Platonem fama celebriore laudant, aliquid tale de Deo sentiunt ut in illo inveniatur et causa subsistendi et ratio intelligendi et ordo vivendi*». Unde AUGUSTINUS sanius interpretans dicta PLATONIS quam ARISTOTELES, ponit principia certae scientiae et cognitionis veritatis consistere in regulis sive rationibus aeternis incommutabilibus existentibus in Deo, quarum participatione per intellectualem cognitionem | cognoscitur quidquid sincerae veritatis in creaturis cognoscitur, ut, sicut sua entitate est causa omnium existendi in quantum sunt, sic et sua veritate est causa omnium cognoscendi in quantum vera sunt. Et per hoc de rebus transmutabilibus,

quantumcumque transmutabiles sunt, certa potest esse et fixa scientia, secundum quod dicit AUGUSTINUS, XII^o De Trinitate cap.^o 14^o: «*Non solum rerum sensibilium in locis positarum sine spatiis localibus manent intelligibiles incorporalesque rationes, verum etiam motionum in temporibus transeuntium sine temporali transitu stant etiam ipsae intelligibiles non sensibiles rationes. Ad quas mentis acie pervenire paucorum est. At cum pervenitur quantum fieri potest, non in eis manet ipse perventor, et fit rei non transitoriae transitoria cogitatio. Quae tamen cogitatio transiens per | disciplinas quibus eruditur animus memoriae commendatur, ut sit qua redire possit quae cogitur inde transire, quamvis si ad | memoriam cogitatio non rediret atque ibi quod commendaverat | inveniret, velut rudis ad hoc sicut ducta fuit duceretur, idque inveniret ubi primum invenerat in illa incorporea veritate, unde rursus quasi descriptum in memoria figeretur*». Sed de hoc amplior sermo erit in quaestione proxima inferius. |

Ad quintum et ad sextum, quod non contingit scire, quia non contingit addiscere, dicendum quod assumptum falsum est. Bene enim contingit addiscere, ut patebit inferius. Sed | intelligendum quod addiscere dupliciter potest accipi: uno modo communiter ad omnem acquisitionem scientiae de novo — sic non oportet quod omnis addiscens aliquid novit, quia addiscens notitiam primorum principiorum ex nulla notitia praecedente eam acquirit—; alio modo proprie ad cognitionem conclusionum solum, quam acquirit secundum actum ex notitia principiorum praecedente, in qua latet secundum potentiam, ut infra patebit; et sic addiscens aliquid novit. |

Ad septimum, quod «homo nihil percipit de re cognoscibili nisi idolum solum», dicendum quod percipere idolum rei contingit dupliciter: | uno modo tamquam obiectum cognitionis, — hoc modo verum est quod percipiens solum idolum rei non cognoscit rem, sicut videns | imaginem Herculis depictam in pariete (ex hoc non videt neque cognoscit Herculem)—; alio modo tamquam rationem cognoscendi; sic non est verum. Per solam enim speciem perceptam de re cognoscitur vere res, ut lapis vere videtur per solam speciem suam sensibilem receptam in oculo, et vere intelligitur per solam speciem suam intelligibilem receptam in intellectu.

Sed dices forte quod illa species est sensibilis recepta a sensu, ergo cum sit accidens et similitudo solius accidentis, non inducit in cognitionem eius quod quid est et substantiae rei.

Ad quod dicendum quod, etsi intellectus recipit primo species intelligibiles rerum sensibilium et corporearum, ut sunt sensibiles, quas primo per illas species intelligit, secundario tamen sub illis speciebus sensibilium naturalis rationis investigatione concipit per se ipsam notitias rerum non sensibilium, ut sunt quidditates substantiarum et alia

eiusdem modi, | quae proprias species non habent in intellectu. Et hoc est quod dicit AUGUSTINUS IX^o De Trinitate cap.^o 3^o: «*Ipsam vim qua per oculos cernimus, sive sint | radii, sive aliquid aliud, oculis cernere non valemus, sed mente quaerimus, et si fieri potest, etiam hoc mente comprehendimus. Mens ergo ipsa, sicut corporearum rerum notitias per sensus corporis colligit, | sic incorporearum per se ipsam*». Et appellat res corporeas ut sensibiles sunt, res autem incorporeas quaecumque id quod sunt sensibilia non sunt, ut sunt mathematica et quidditates substantiarum, materia et | forma et huiusmodi quorum notitiam mens sub speciebus sensibilibus ex naturali colligantia sensibilibus ad insensibilia naturalis rationis industria colligit quasi fodiendo sub ipsa specie a sensibili re ei praesentata, ad modum quo ovis | naturali instinctu per species sensatas aestimat insensatas, ut imaginando vel videndo per speciem lupi sensibilem aestimat ipsum nocivum et inimicum, et ideo dicitur intelligere quasi ab «intus legere». |

QUAESTIO 2

UTRUM CONTINGAT HOMINEM ALIQUID SCIRE SINE DIVINA ILLUSTRATIONE

Circa secundum arguitur quod non contingit hominem aliquid scire ex sola naturali industria sine speciali illustratione divina.

Primo sic. II^a <Ad> Corinthios III^o dicit APOSTOLUS: «*Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*». Non est autem perceptio veritatis nisi ex cognitione. Ergo sufficientia ad percipiendum veritatem non est nobis nisi ex Deo. Sed hoc non nisi illustratione speciali alicuius luminis divini, quia omne quod percipitur in lumine percipitur. Ergo etc.

Secundo sic. Super illud I^{ae} <Ad> Corinthios XII^o «*Nemo potest dicere 'Dominus Iesus' nisi in Spiritu Sancto*», dicit AMBROSIUS: «*Verum a quocumque dicatur a Spiritu Sancto est*». Sed quicumque scit verum aliquid illud verbo mentis suae dicit. Ergo a Spiritu Sancto scit illud et dicit. Hoc autem non est sine speciali illustratione. Ergo etc.

Tertio sic. I^o Soliloquiorum dicit AUGUSTINUS: «*Intelligibilis est Deus, intelligibilia sunt et | ista disciplinarum spectamina, tamen plurimum differunt. Nam terra visibilis est et lux, sed terra, nisi luce illustrata, videri non potest. Ergo illa quae in disciplinis traduntur, quae quisque verissima esse nulla | dubitatione concedit, credendum est non posse intelligi, nisi ab alio quasi suo sole illustrentur*». | Ille autem «alius quasi sol» non est nisi lux divina, secundum quod dicit ibidem: «*Quomodo in hoc sole tria quaedam licet*

ARTICULUS I

advertere, quod est, quod fulgeat, quod illuminet, ita et in illo secretissimo Deo talia | quaedam sunt, quod est, quod intelligit, quod cetera facit intelligi». Ergo etc.

Quarto sic. Dicit AUGUSTINUS libro II^o De sermone Domini in monte: «*Omnis | anima rationalis etiam cupiditate caecata, cum cogitat et ratiocinatur, | quidquid in ea ratione verum est non est tribuendum ei, sed ipsi luci veritatis, a qua vel tenuiter tangitur*». Illa autem lux non est nisi specialis illustrationis divinae. Ergo etc.

Quinto sic. AUGUSTINUS dicit XII^o Confessionum: «*Si ambo videmus verum esse quod dicis, et ambo videmus verum esse quod dico, ubi, quaeso, id videmus? Nec ego utique in te nec tu in me, sed ambo in ipsa quae supra mentes nostras est incommutabili veritate*». Sed in illa nihil videmus nisi specialis divina illustratione, quia ipsa excedit limites naturae nostrae. Ergo etc.

In contrarium arguitur primo sic. AUGUSTINUS dicit I^o De Academicis: «*Quae ducit ad veritatem nulla via melius intelligitur quam diligens inquisitio veritatis*». Frustra autem esset inquisitio, nisi homo per ipsam sine speciali divina illustratione ad eam posset attingere. Ergo etc.

Secundo sic. PHILOSOPHUS dicit in principio Metaphysicae: «*Omnes homines natura scire desiderant*». Sed non desiderant natura, nisi quod per naturam scire possunt. | Ergo homines per naturam aliquid possunt scire. Ad tale autem non requiritur specialis illustratio divina. Ergo etc. |

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc quod omnium cognoscibilium se habentium | per ordinem, ita quod semper postremum natum est cognosci per praecedens, si cognitio primi illorum poterit attingi per intellectum ex puris naturalibus sine omni speciali illustratione divina, similiter et omnium posteriorum cognitio eodem modo poterit attingi. Si enim homo ex puris naturalibus sine omni speciali illustratione divina poterit attingere ad cognitionem primorum principiorum speculabilium, similiter et ex puris naturalibus sine omni speciali illustratione divina poterit attingere ad cognitionem omnium conclusionum sequentium post principia. Licet enim cognitio principiorum sit quaedam illustratio ad cognitionem conclusionum, si tamen ex puris naturalibus poterit homo ad illam attingere, non dicitur illustratio specialis divina in cognoscendo per ipsa conclusiones. Si autem in aliquibus cognoscibilibus ordinatis ad invicem primum illorum non poterit attingi ab homine ex puris naturalibus, sed solum ex speciali illustratione divina, neque similiter aliquid eorum quae sunt post, quia posteriora non

QUAESTIO 2

cognoscuntur | nisi in ratione primi. Nunc autem proculdubio verum est quod in aliquibus cognoscibilibus primum illorum non potest cognosci aut sciri ex puris naturalibus, sed solum ex speciali illustratione divina, ut in illis quae per se et simpliciter sunt credibilia, et ideo in talibus simpliciter et absolute concedendum est quod non contingit hominem scire aliquid ex puris naturalibus, sed solum ex speciali illustratione divina, secundum quod hoc inferius determinabitur.

Quidam autem hunc modum sciendi volunt extendere | ad omne scibile, dicendo quod nullum verum contingit sciri ab homine ex puris naturalibus sine speciali illustratione divina lumine aliquo supernaturali infuso. Et credunt hoc esse de mente | AUGUSTINI in omnibus libris suis, ubicumque tractat, quod quicumque verum videt in prima veritate sive in regulis aeternis sive in luce aeterna illud videt, secundum quod dicit XI^o De civitate Dei cap.^o 10^o: «*Non inconvenienter dicatur sic illuminari animam incorporea luce simplicis sapientiae Dei, sicut illuminatur aeris corpus luce corporea*». Sic dicentes multum derogant dignitati et perfectioni intellectus creati. Cum enim cuilibet rei naturali perfectae in forma sua debetur aliqua actio sive | operatio propria naturalis et ex puris naturalibus per quam potest attingere bonum sibi naturale, ut patet in omnibus aliis rebus naturalibus, secundum quod dicit DAMASCENUS II^o Sententiarum: «*Quorum naturae sunt differentes, horum et operationes differentes; | impossibile enim est substantiam expertam esse naturali operatione*» et libro De duplici natura et voluntate Christi, cap.^o 4^o: «*Impossibile | est naturam constitui extra eas quae secundum ipsam naturales proprietates veluti vitale rationale voluntarium. Qui enim non ratiocinatur non est homo, non factus est enim homo non ratiocinans sive bene sive male*»; cum ergo «scire et intelligere maxime sit propria operatio intellectus», ut dicitur in I^o De anima, si scire non | posset ei contingere ex puris naturalibus, neque ulla operatio omnino; et sic quoad hoc esset inferior omnibus creaturis, quod est inconveniens; secundum enim quod dicit PHILOSOPHUS II^o Caeli et mundi: «*res bona completa integra bonitate non indiget operatione aliqua qua sit bona*», et est causa prima omnium, a qua omnis res alia recipit suam bonitatem; et ideo eget propria operatione per quam moveatur in ipsam, ut divino esse illius participet secundum | quod potest. Omnia enim illud appetunt, et causa illius agunt quaecumque agunt secundum naturam.

Forte dicitur hic pro opinione praedicta: «Bene verum est quod intelligere verum et scire est propria et naturalis operatio intellectus et animae humanae per quam bonitatem suam acquirit, sed ad illam eget speciali illustratione propter actus illius eminentiam et dignitatem, cum tamen cetera agant actiones suas ex puris naturalibus. Hoc enim est

ARTICULUS I

propter illarum actionum imperfectionem, | et non est inconveniens quod res una indigeat pluribus ad agendum actionem perfectiorem, cum res alia indigeat paucioribus ad agendum actionem imperfectiorem».

Hoc dicere omnino est inconveniens et multum derogat dignitati animae rationalis. Si enim aliae res inferiores ex puris naturalibus possint in aliquam operationem naturae suae correspondentem et proportionalem, inconveniens est hoc denegare animae rationali, ut licet non possit ex puris naturalibus in eminentem operationem naturam suam excedentem, quin possit in aliquam operationem naturae suae congruentem et proportionalem. Multum enim est inconveniens ut Deus animam humanam fecerit inter naturales res et sibi non praeparaverit instrumenta naturalia quibus poterit in operationem aliquam naturalem sibi debitam, cum illa praeparaverit aliis rebus inferioribus. Multo enim minus Deus quam natura aliquid operatur frustra aut deficit alicui rei in sibi necessariis. Operatio autem animae humanae propria naturalis non est alia quam scire aut cognoscere. Absolute | ergo concedere oportet quod homo per suam animam absque omni speciali divina illustratione potest aliqua scire aut cognoscere, et hoc ex puris naturalibus. Contrarium enim dicere multum derogat dignitati animae et humanae naturae. Dico autem ‘ex puris naturalibus’ non excludendo | generalem influentiam primi intelligentis, quod est primum agens in omni actione intellectuali et cognitiva, sicut primum movens movet in omni motu cuiuslibet rei naturalis. Nec impedit illa influentia generalis adjuvans ad cognoscendum quin cognitio illa dicatur fieri ex puris naturalibus. Quia enim homo in cognoscendo quaecumque cognoscit naturaliter habet sibi assistentem illam influentiam, idcirco dicendum est quod ad cognoscendum omnia alia posteriora, ad quae per illam attingit, ex puris naturalibus attingit.

Si ergo large accipiamus scire | ad omnem certam notitiam rei, ut comprehendat etiam cognitionem sensitivam, sicut dictum est in quaestione praecedenti, quantum est ex parte sensus et cognitionis sensitivae, patet quod simpliciter et absolute dicendum est quod contingit aliquid scire et cognoscere certa cognitione sensitiva, ut ostensum est in quaestione praecedenti, et hoc ex puris naturalibus, quod pertinet ad istam quaestionem, et hoc ideo, quoniam sensibilia sensuum prima quadam necessitate naturali immutant sensus et per illa etiam naturali necessitate immutant sensus, tam exteriores quam interiores, omnia sensibilia posteriora. |

Quantum | autem est ex parte intellectus et cognitionis intellectivae, cuius cognoscere proprie dicitur scire, distinguendum est.

QUAESTIO 2

Quamquam enim secundum AUGUSTINUM 83 Quaestionibus «nihil scitur nisi verum», aliud tamen est scire de creatura id quod verum est in ea, et aliud est scire eius veritatem, ut alia sit cognitio qua cognoscitur res, alia qua cognoscitur veritas eius. Omnis enim virtus cognoscitiva per suam notitiam apprehendens rem, | sicut habet esse in se extra cognoscentem, apprehendit quod verum est in ea, sed non per hoc apprehendit eius veritatem. Sensus enim etiam in brutis bene apprehendit | de re quod verum est in ea, ut verum hominem, verum lignum, verum lapidem, et maxime proprium obiectum, «circa quod de necessitate est verus», sed tamen nullius rei veritatem apprehendit sive cognoscit; propter quod de nullo potest iudicare quid sit in rei veritate, ut de homine quod sit verus homo, vel de colore quod sit verus color.

Cognitione igitur intellectiva de re creata duplex potest haberi cognitio: una qua praecise scitur sive cognoscitur simplici intelligentia id quod res est; alia qua scitur et cognoscitur intelligentia componente et dividente veritas ipsius rei.

In prima cognitione intellectus noster omnino sequitur sensum, nec est aliquid conceptum in intellectu quod non erat prius in sensu. Et ideo talis intellectus in quantum huiusmodi bene potest esse verus concipiendo sive cognoscendo rem sicuti est, quemadmodum et sensus quem sequitur, licet non concipiat vel intelligat ipsam veritatem rei certo iudicio percipiendo | de ipsa quid sit, | ut quod sit verus homo vel verus color.

Cuius duplex est ratio, una ex parte ipsius intellectus, alia vero ex parte intelligibilis. Ex parte intellectus ratio est quia intellectus veritatem non concipit simplici intelligentia, sed solum «*compositione et divisione*», | ut | vult PHILOSOPHUS VI^o *Metaphysicae* et ut inferius habebit declarari. Unde sicut sensus dicitur verus comprehendendo rem sicuti est, non autem comprehendendo eius veritatem, sic et simplex intelligentia sequens sensum verum vera dicitur, comprehendendo rem sicuti est, non autem comprehendendo eius veritatem.

Ex parte autem intelligibilis ratio est quod alia est intentio rei qua est id quod est et alia qua dicitur vera, licet simul sunt in quacumque re et convertuntur sibi invicem, quia omne ens est verum et e converso. Ut enim dicit prima propositio *De Causis*, «*prima rerum creaturarum est esse*». Et ideo prima intentio comprehensibilis per intellectum est ratio entis, quam contingit intelligere absque eo quod ulla alia intentio circa ens intelligatur, quia nullam aliarum includit in se et ipsa in omnibus aliis includitur. Quamquam enim intentio entis non intelligitur nisi sub ratione veri, quod est per se obiectum intellectus, non tamen verum in eo quod est ratio intelligendi ens est obiectum intellectus, sicut est ens.

ARTICULUS I

Ratio enim veri est ratio intelligibilitatis in quocumque, obiectum tamen est verum ens vel verum bonum, et sic de aliis rerum intentionibus. | Unde quia intentio entis in omnibus aliis rerum intentionibus includitur, tam universalibus quam particularibus — quod enim non est ens nihil est —, ideo vult COMMENTATOR super primam propositionem *De causis* «quod esse *vehementioris* est *adhaerentiae cum re quam*» aliae intentiones quae sunt in ea.

Post intentionem autem entis proximiores sunt in re illae intentiones universales quae sunt unum, verum, bonum, et hoc diversimode et secundum ordinem, quoniam quaelibet | res sub intentione entis existens tripliciter potest considerari. Primo in quantum habet esse determinatum in natura sua, quo per formam suam est in se indivisa et a quolibet alio divisa. Sic convenit ei intentio unius: in eo enim quaelibet res est una quo in se est indivisa formaliter et a quolibet alio divisa. «*Unum enim*», ut dicit PHILOSOPHUS III^o *Metaphysicae*, «*est aliquid per se existens solitarium*». Secundo in quantum in esse suo | habet quod de ea exemplar ad quod est repraesentat. Sic convenit intentio veri: in tantum enim vera est | quaecumque res, in quantum in se continet quod exemplar eius repraesentat. Tertio autem in quantum congruit suo fini ad quem est. Sic convenit ei intentio boni: in tantum enim quaelibet res est bona, in quantum respicit finem, qui bonus est. Quia igitur verum dicit intentionem rei in respectu ad suum exemplar, quae non est | prima, sed secundaria, ens autem dicit intentionem rei primam et | absolutam, id quod est ens et verum in re bene potest apprehendi ab intellectu absque hoc quod intentio veritatis eius ab ipso apprehendatur. Intentio | enim veritatis in re apprehendi non potest nisi apprehendendo conformitatem eius ad suum exemplar; intentio vero entis apprehenditur in re absoluta sine omni tali respectu.

In cognitione autem secunda, qua scitur sive cognoscitur veritas ipsius rei, sine qua non est hominis cognitio perfecta de re, cognitio et iudicium intellectus omnino excedunt cognitionem et iudicium sensus, quia, ut dictum est, intellectus veritatem rei non cognoscit nisi componendo et dividendo, quod non potest facere sensus, et ideo talis intellectus potest cognoscere de re quod non potest cognoscere sensus, neque etiam intellectus qui est simplicium intelligentia, | quod est certo iudicio apprehendere de re quod in rei veritate sit tale vel tale, ut verus homo vel verus color et huiusmodi.

De isto ergo modo sciendi et cognoscendi aliquid per intellectum quo scitur veritas rei, quod est proprie scire, utrum ex puris naturalibus possit homo scire aliquid sine omni speciali illustratione | divina, adhuc restat dubitatio. |

QUAESTIO 2

Et est dicendum quod, cum, ut dictum est iam, veritas rei non potest cognosci nisi ex cognitione conformitatis rei cognitae ad suum exemplar, quia, secundum quod dicit AUGUSTINUS De vera religione: «*vera in tantum vera sunt in quantum principalis unius similia sunt*», et ANSELMUS De veritate: «*veritas est rei conformitas ad suum exemplar | verissimum*», et ibidem «*quod est vere est, in quantum est, quod ibi est*», secundum quod duplex est exemplar rei, dupliciter ad duplex exemplar veritas rei habet ab homine cognosci. Est enim, secundum quod vult PLATO in I^o Timaei, duplex exemplar: «*quoddam factum atque elaboratum, quoddam perpetuum atque immutabile*». Primum exemplar rei est species eius existens apud animam universalis, per quam acquirit notitiam omnium suppositorum eius, et est causata a re. Secundum exemplar est ars divina continens omnium rerum ideales rationes, ad quod PLATO dicit «*Deum mundum instituisse*», sicut artifex ad exemplar artis in mente sua facit domum, non autem ad primum.

Aspiciendo igitur ad exemplar primum, sciendum quod homo potest dupliciter aspicere: uno modo ut ad obiectum cognitum descriptum extra cognoscentem, ut aspiciendo imaginem hominis depictam in pariete ad cognoscendum hominem; alio modo ut ad rationem cognoscendi descriptam | in cognoscente, secundum quod species sensibilibus describuntur in sensu et species intelligibilibus in intellectu. Primo modo impossibile est cognoscere veritatem | rei aspiciendo ad suum exemplar, sed solum contingit de ea habere imaginariam apprehensionem, qualem sibi potuit formare fortuito ipsa imaginativa virtus. Unde miraretur homo, si homo cuius est illa imago, quem numquam viderat, sibi occurreret, ut dicit AUGUSTINUS VIII^o De Trinitate cap.^o 5^o. Per illam etiam imaginariam apprehensionem acceptam de imagine depicta, si nominaretur ei ille cuius erat imago, posset devenire ad iudicandum aestimative de illo cuius esset imago, si ei occurreret, et tunc primo ex ipsa re visa in propria forma eius veritatem cognoscere et per ipsam de eius imagine, si esset vera imago ei correspondens, iudicare. Et per hunc modum | legitur regina Candacis habuisse *imaginem* Alexandri regis *depictam* apud se priusquam eum umquam viderat, et eum cognovisse statim cum eum vidit, licet se alium fuisse simulasset.

Secundo igitur modo, scilicet aspiciendo ad exemplar acceptum ab ipsa re ut ad rationem cognoscendi in ipso cognoscente, bene potest aliquo modo veritas ipsius rei cognosci formando conceptum mentis de re conformem illi exemplari. Et per hunc modum posuit ARISTOTELES scientiam rerum et veritatis cognitionem acquiri ab homine ex puris naturalibus et de rebus naturalibus transmutabilibus, et tale exemplar

ARTICULUS I

acquiri ex rebus per sensum tamquam primum principium artis et scientiae, secundum quod dicit in principio *Metaphysicae*: «*Fit autem ars, cum ex multis experimento intellectis una fit universalis de similibus acceptio*», et in II^o *Posteriorum*: «*Ex sensu | quidem fit memoria, ex memoria autem multotiens facta experimentum, ex experimento autem universali existente in anima | uno praeter multa, illud est artis principium et scientiae*». Cui concordat illud quod dicit AUGUSTINUS XI^o *De Trinitate* cap.^o 4^o: «*Detracta specie corporis quae corporaliter sentitur, remanet in memoria similitudo eius, qua rursus voluntas convertit aciem mentis ut inde formetur intrinsecus sicut ex corpore obiecto sensibili extrinsecus formabatur*». Inde, ut dicit libro VIII^o cap.^o 5^o, «*Secundum generales aut speciales | rerum notitias*» vel natura insitas vel experientia collectas | de eis quae non vidimus «*cogitamus*». Unde per universalem notitiam quam in nobis habemus acquisitam de diversis speciebus animalis | cognoscimus de qualibet re quae nobis occurrit an sit animal an non, et per specialem notitiam asini cognoscimus de quolibet quod nobis occurrit an sit asinus an non.

Sed quod per tale exemplar acquisitum in nobis habeatur a nobis certa omnino et infallibilis notitia veritatis, hoc omnino est impossibile triplici ratione, quarum prima sumitur ex parte rei de qua exemplar huiusmodi abstractum est, secunda ex parte animae in qua huiusmodi exemplar susceptum est, tertia ex parte ipsius exemplaris quod a re in anima susceptum est.

Prima | ratio est quod exemplar tale, eo quod abstractum est a re transmutabili, necesse habet aliquam rationem transmutabilis. Unde quia res naturales magis sunt mutabiles quam mathematicae, ideo posuit PHILOSOPHUS maiorem haberi certitudinem scientiae de rebus mathematicis quam de naturalibus per species earum universales, et hoc non nisi propter specierum ipsarum existentium apud animam transmutabilitatem. Unde hanc causam incertitudinis scientiae rerum naturalium ex sensibilibus acceptam AUGUSTINUS, pertractans 83 *Quaestionum* q.^e 9^a, dicit quod «*a sensibilibus corporis non est expetenda sincera veritas*», et quod «*saluberrime admonemur averti ab hoc mundo ad Deum, id est veritatem quae intelligitur et in interiori mente capitur, quae semper manet et eiusdem naturae est, tota alacritate converti*».

Secunda ratio est quod anima humana, quia mutabilis est et erroris passiva, per nihil quod mutabilitatis aequalis vel maioris est cum ipsa, potest rectificari ne obliquetur per errorem et in rectitudine veritatis persistat. Ibi exemplar omne quod recipit a rebus naturalibus, cum sit inferioris gradus naturae quam ipsa, necessario aequalis vel maioris mutabilitatis est cum ipsa. Non ergo potest eam rectificare ut persistat in infallibili veritate. Et est ratio AUGUSTINI *De vera religione*

QUAESTIO 2

probantis per hoc immutabilem veritatem per quam anima habet certam scientiam esse super animam, dicens: «*Lex omnium artium cum sit omnino | immutabilis, mens vero humana, cui talem legem videre concessum est, mutabilitatem pati possit erroris, satis apparet super mentem nostram esse legem quae veritas dicitur*», quae sola | sufficit | ad rectificandum mentem commutabilem et obliquabilem in infallibili cognitione, de qua non habet mens iudicare, sed per illam de omni alio. De omni enim eo quod est inferius mente, habet mens potius iudicare quam per illud iudicare de alio, secundum quod determinat | ibidem.

Tertia ratio est quod huiusmodi exemplar, cum sit intentio et species sensibilis rei abstracta a phantasmate, similitudinem habet cum falso sicut cum | vero, ita quod, quantum est ex parte sua internosci non potest; per easdem enim imagines sensibilibus in somno et in furore iudicamus imagines esse res ipsas, et in vigilia sani iudicamus de ipsis rebus. Veritas autem sincera non percipitur nisi discernendo eam a falso. Igitur | per tale exemplar impossibile est certam haberi scientiam et certam notitiam veritatis. Et ideo si debeat certa scientia haberi veritatis, oportet mentem avertere a sensibus | et sensibilibus et ab omni intentione quantumcumque universali et abstracta a sensibilibus ad incommutabilem veritatem supra mentem existentem, «*quae non habet imaginem falsi a qua discerni non possit*», ut dicit AUGUSTINUS 83 Quaestionum q.^e 9^a, ubi pertractat istam rationem. |

Sic ergo patet quod duplex est veritas et duplex modus sciendi veritatem, quos innuit AUGUSTINUS retractans illud quod dixit I^o Soliloquiorum: «*Deus qui nisi mundos, verum scire voluisti*», dicens: «*Potest responderi multos etiam immundos multa scire vera, neque enim definitum est hic quid sit verum, quod nisi mundi scire possunt et quid sit scire*». Patet etiam quod certam scientiam et infallibilem veritatem, si contingat hominem cognoscere, hoc non contingit ei aspiciendo ad exemplar abstractum a re per sensus quantumcumque sit depuratum et universale factum. | Propter quod primi ACADEMICI sententiam PLATONIS imitantes — «*idem quippe sunt Academici qui Platonici*», ut dicit AUGUSTINUS in Epistola ad Dioscorum — negabant aliquid sciri omnino contra STOICOS, qui solum ponebant sensibilia in mundo, et hoc intelligendo de notitia veritatis sinceræ, ponendo omnem notitiam veritatis sinceræ de quacumque re haberi non posse nisi aspiciendo ad exemplar secundum. |

Qui tamen bene discernebant quod aliqualis notitia veritatis posset percipi per sensus et mediantibus sensibus per intellectum, quam tamen putabant | non mereri dici scientiam, secundum quod dicit AUGUSTINUS III^o De Academicis: «*Sunt qui omnia ista quae corporis*

ARTICULUS I

sensus attingit opinionem posse gignere contentur, scientiam vero negant, quam volunt intelligentia contineri remotamque a sensibus in mente vivere». «Cum enim», ut dicit in libro II^o, «eis nihil turpius visum est quam opinari et nihil percipi posse concluderunt, ut nihil sapiens umquam approbarets», sed id quod probabile et verisimile appareret sequeretur. Unde non distinxerunt de certa notitia qua percipitur id quod verum est in re, sive per sensum sive per intellectum, a notitia qua scitur veritas ipsius rei, neque etiam de hac distinxerunt quod quaedam est veritatis notitia liquida et sincera, alia vero phantastica per phantasmata et imagines rerum obumbrata, sed, ut videbatur ex eorum verbis, simpliciter aliquid sciri posse negabant.

Et ideo posteriores ACADEMICI verba positionis illorum tenentes, sed mentem ipsorum ignorantes, omnem scientiam et veritatis perceptionem penitus negabant, non solum quoad perceptionem intellectus de notitia quae pertinet ad sapientiam et de rebus pertinentibus ad philosophiam, sed etiam quoad perceptionem | sensus, ut expositum est in quaestione praecedenti.

Negabant autem illi primi ACADEMICI omnem scientiam et notitiam veritatis simpliciter quantum ad verba sua, ut veram sententiam PLATONIS de sincerae veritatis notitia ad tempus opportune occultarent, | quam demum tempore congruo ad hoc | tertium genus ACADEMICORUM propalaret, secundum quod dicit AUGUSTINUS II^o De Academicis: «Hoc mihi videntur egisse et ad occultandum tardioribus et ad significandum vigilantioribus sententiam suam». «Certam enim habuerunt | Academici | de veritate scientiam et eam temere ignotis vel non purgatis animis prodere noluerunt». «Quid igitur», ut dicit libro III^o, «placuit tantis viris agere ne in quemquam cadere veri scientia | videretur? Audite», inquit, «iam paululum attentius, non quid sciam, sed quid aestimem. Plato vir sapientissimus et eruditissimus temporum suorum fuit, quem certum est duos sensisse mundos esse: unum intelligibilem, in quo veritas ipsa habitat, alterum autem istum sensibilem ad illius imaginem factum; | et de illo in eam quae se cognosceret animam velut exspoliri et quasi serenari veritatem, de isto autem instructorum animis non scientiam, sed opinionem, posse generari». «Haec et alia huiusmodi videntur inter eius successores quantum | potuerunt esse servata et pro mysteriis custodita. Non enim facile ista percipiuntur nisi ab eis qui se ab omnibus vitiis mundantes et in | aliam quandam plus quam humanam consuetudinem vendicant, graviterque peccat quisquis ea sciens quoslibet homines docere voluerit. Quam ob rem cum Zeno, princeps Stoicorum, nec quidquam esse praeter hunc sensibilem mundum nihilque agi nisi corpore, nam Deum et ipse ignem putabat, prudentissime atque utilissime mihi videtur Archesilas, cum illud late serperet malum, occultasse penitus Academiae sententiam et quasi aurum inveniendum posteris obruisse. Quare cum in falsas opiniones ruere sit turba paratior et consuetudine | corporum omnia esse corporea facillime, sed noxie,

QUAESTIO 2

credantur, instituit vir acutissimus dedocere potius quos patiebatur male doctos, quam docere quos dociles non arbitrabatur. «Cum enim», ut dicit in Epistola ad Dioscorum, «Epicurei numquam falli corporis sensus dicerent, Stoici autem falli aliquando concederent, utrique tamen regulam comprehendendae veritatis in sensibus ponerent, quis istis contradicentibus audiret Platonicos, si ab eis diceretur non solum esse aliquid quod neque tactu corporis neque olfactu neque gustu vel auribus aut oculis percipi possit, neque aliqua imaginatione cogitari, sed id solum vere esse atque id solum percipi posse quod incommutabile et sempiternum est, percipi autem sola intelligentia, qua veritas, quomodo attingi potest, attingatur? Cum ergo talia sentirent Platonici quae neque docerent carni deditos homines, neque tanta essent auctoritate apud populos ut credenda persuaderent donec ad eum habitum perduceretur animus quo ista capiuntur, elegerunt occultare sententiam suam, et contra eos disserere qui verum se invenisse iactarent, cum inventionem ipsam veri in carnis sensibus ponerent».

«Inde», ut ait III^o De Academicis cap.^o 29^o, «omnia illa nata sunt quae novae Academiae attribuuntur». Novi enim ACADEMICI illud mysterium non scientes dixerunt ACADEMICOS veteres penitus negasse scientiam, et sic eos crudeliter infamarunt quibus posteriores fortiter resisterunt. «Nam Carnaides primo illam calumniandi impudentiam qua videbat Archésilam non mediocriter diffamatum deposuit, et ob hoc dicitur | Carnaides | tertiae Academiae princeps atque auctor fuisse. Deinde ultimo | Antiochus, Philonis auditor, iam velut aperire cedentibus hostibus portas coeperat, et ad Platonis auctoritatem legesque Academiam revocare, quamquam et Metrodorus id antea facere temptaverat, qui primus dicitur esse confessus non directo placuisse Academicis nihil posse comprehendere, sed necessario contra Stoicos huiusmodi arma eos sumpsisse. Post illa autem tempora omni pervicacia pertinaciaque demortua os illud Platonis, quod in philosophia | purgatissimum est et lucidissimum, dimotis nubibus | erroris emicuit maxime in Plotino, ut in hoc revixisse putandus sit».

Sincera igitur veritas, ut dictum est, non nisi ad exemplar aeternum conspici potest. | Sed est advertendum quod sincera veritas sciri | potest aspiciendo ad hoc | exemplar dupliciter: uno modo aspiciendo ad ipsum tamquam obiectum cognitum, in ipso scilicet videndo exemplatum, «quia bene probat imaginem qui intuetur exemplar», ut dicit AUGUSTINUS III^o De Academicis cap.^o 30^o; alio modo aspiciendo ad exemplar illud tamquam ad rationem cognoscendi tantum.

Primo modo cognoscimus de imagine Herculis quod sit vera imago eius, videndo Herculem, et in hoc advertendo correspondentiam imaginis ad exemplar scimus quod sit vera imago eius. Hoc modo veritas cuiuslibet rei factae ad exemplar perfectissime cognoscitur viso suo exemplari. Et ideo cum omnis creatura sit imago quaedam divini

ARTICULUS I

exemplaris, verissime et perfectissime cognoscitur veritas cuiuslibet creaturae in eo quidquid est, videndo nudam divinam essentiam, secundum quod dicit AUGUSTINUS XI^o De civitate Dei, *«Ipsi sancti angeli per ipsam praesentiam incommutabilis veritatis ipsam creaturam melius ibi tamquam in arte qua facta est quam in ea ipsa sciunt»*. Unde quia non solum imago nata est cognosci per exemplar a priori, sed etiam e converso exemplar per imaginem a posteriori, ideo | AUGUSTINUS per creaturas docet cognoscere qualis sit ars divini exemplaris, cum dicit in sermone I^o Super Ioannem: *«Attendunt homines mirabilem fabricam et mirantur consilium fabricantis. Stupent quod vident, | et amant quod non vident. Si ergo ex magna aliqua fabrica laudatur hominum consilium, vis videre quale consilium Dei est, id est Verbum Dei? Attende istam fabricam mundi. Vide quae sunt facta per verbum et cognosce quale sit»*. Unde per hunc modum ex aggregata notitia omnium creaturarum | tamquam una imagine perfecta divinae artis, quantum perfectior | poterit esse in creaturis, posuerunt philosophi perfectam haberi cognitionem Dei, quanta ex puris naturalibus haberi poterit, ut infra videbitur.

Ad talem autem cognitionem divini exemplaris homo non potest attingere ex puris naturalibus sine speciali illustratione, nec etiam in vita ista lumine communis gratiae, secundum quod dicit AUGUSTINUS in libro De fide catholica, loquens ad Deum: *«Tua»*, inquit, *«essentia et species potest dici et forma, et est id quod est, reliqua autem | non sunt id quod sunt. Haec verissime potest dicere 'Ego sum qui sum'. Haec tanta et talis est ut de eius visione 'nil in hac vita sibi usurpare mens humana audeat, quod solis electis tuis praemium in subsequenti remuneratione reservas'»*, secundum quod dicitur super illud: *«Habitat lucem inaccessibilem quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest»*, scilicet *«in hac vita, post autem videbitur»*. Et quod in hac vita videri non potest, verum est nisi per donum gratiae specialis, qua homo per *raptum* a sensibus *abstrahitur*, quomodo Moyses et Paulus Deum viderunt in *hac vita* per essentiam, ut dicit AUGUSTINUS de videndo Deum Ad Paulinam, et quomodo beatus *«Benedictus sub uno radio vidit totum mundum»*, ut dicit GREGORIUS in IV^o Dialogi, quia, cum ad ipsius divinae naturae exemplar videndum non potest attingere homo ex puris naturalibus sine speciali divina illustratione, neque ad sciendum aliquam veritatem in creaturis aspiciendo ad ipsam.

Si vero sciatur sincera veritas aspiciendo ad divinum exemplar ut ad rationem cognoscendi, hoc modo posuit PLATO omnem veritatem cognosci aspiciendo ad exemplar aeternum, secundum quod dicit AUGUSTINUS inducens ad hoc auctoritatem TULLII in Epistola ad Dioscorum: *«Illud»*, inquit, *«attende quoniam Plato a Cicerone | multis modis | apertissime ostenditur in sapientia non humana, sed plane divina, unde*

QUAESTIO 2

humana quodammodo attenditur, in illa utique sapientia prorsus immutabili atque eodem modo semper se habente veritatem constituisse | et finem boni et causas rerum et ratiocinandi fiduciam. Oppugnatos autem esse nomine Epicureorum et Stoicorum a Platonis eos qui in corporis vel in animi natura ponerent et finem boni et causas rerum et ratiocinandi fiduciam. Durasse tamen errores, sive de moribus sive de natura rerum sive de ratione investigandae veritatis, usque ad tempora | Christiana, quos iam obmutuisse conspiciamus. Ex quo intelligitur ipsos quoque Platonicae gentis philosophos, paucis mutatis quae Christiana improbat disciplina, invictissimo uni regi Christo pias cervices oportere submittere, qui iussit et creditum est quod illi vel proferre metuebant».

Hanc igitur sententiam PLATONIS insecutus est AUGUSTINUS, secundum quod dicit in fine *De Academicis*: | «Nulli dubium est gemino pondere nos impelli ad discendum, auctoritatis atque | rationis. Mihi igitur certum est numquam prorsus a Christi auctoritate discedere. Non enim reperio valentiorum. Quod autem subtilissima ratione persequendum est — ita enim iam sum affectus, ut quod sit verum non credendo solum, sed etiam intelligendo apprehendere desiderem —, apud Platonem me interim quod sacris nostris non repugnat me reperturum esse confido».

Et est sententia quam in omnibus libris suis tenet, quam et cum ipso teneamus, dicendo quod nulla certa et infallibilis notitia veritatis sincera a quoquam potest haberi nisi aspiciendo | ad exemplar lucis et veritatis increatae. Unde illi soli certam veritatem valent agnoscere qui eam in illo exemplari valent inspicere, quod «*non omnes valent*», ut dicit VIII^o *De Trinitate*, sed «*pauci acie ingenii*» transmutabilia omnia valentes transcendere et regulis immutabilibus de mutabilibus iudicare, «*de quibus nullus indicat, et sine quibus nullus certe indicat*», ut dicit in II^o *De libero arbitrio*, cap.^o 6^o. Hinc dicit VIII^o *De Trinitate*: «*Formas rerum corporalium per sensus haustas et quodammodo infusas memoriae, ex quibus etiam ea quae non sunt visa ficto phantasmate cogitantur, sive aliter quam sunt sive fortuito quomodo sunt, aliis omnino regulis super mentem nostram immutabiliter manentibus vel approbare apud nosmet ipsos vel improbare convincimur cum recte aliquid approbamus aut improbamus*». Et ibidem: «*Cum arcum pulchrum et aequaliter intortum quem vidi Carthagini animo revolve, res quaedam menti nuntiata per oculos memoriaeque transfusa imaginum aspectum facit, sed aliud mente conspicio, secundum quod mihi opus illud placet. Unde etsi displiceret, corrigerem. Itaque de istis secundum illud iudicamus et cernimus rationalis mentis intuitu. Ista autem praesentia corporis tangimus, aut imagines absentium fixas in memoria | recordamur aut eorum similitum talia fingimus, aliter figurantes | animo imagines corporum aut per corpus corporalia videntes, aliter autem rationes artemque ineffabiliter pulchram talium figurarum super aciem mentis simplici intelligentia capientes. In illa ergo arte in qua temporalia facta sunt*

ARTICULUS I

omnia, formam secundum quam sumus, et secundum quam vel in nobis vel in corporibus vera et recta ratione aliquid operatur, | visu mentis aspiciamus, atque inde conceptam rerum veracem notitiam tamquam verbum apud nos habemus, et dicendo intus gignimus». Et hoc non solum de huiusmodi rebus corporalibus, sed etiam de incorporalibus, secundum quod dicit in Epistola quadam ad Nebridium: «*Veniat | in mentem illud quod 'intelligere' appellamus duobus modis in nobis fieri, aut ipsa per se mente atque ratione intrinsecus, aut admonitione a sensibus. In quibus duobus illud primum, id est de eo quod apud nos est, Deum consulendum; hoc autem secundum, de eo quod a | corpore sensuque nuntiatur, nihilominus Deum consulendum | intelligimus*». | Et sic de universis quae intelligimus «*intus praesentem ipsi menti consulimus veritatem*», ut dicit in libro De magistro. «*De qua micat omne quod rationabili menti lucet*», ut dicit ANSELMUS, Proslogion 14^o cap.^o Quomodo autem hoc fiat, in quaestione proxima sequenti declarabitur. |

Responsio autem huius ad praesens, quae magis ibi declarabitur, est quia, ad hoc quod aliqua conceptio in nobis de veritate rei extra vera sit sincera veritate, oportet quod anima, in quantum per eam est informata, sit similis veritati rei extra, cum «*veritas sit quaedam adaequatio rei et intellectus*». Quare cum, ut dicit AUGUSTINUS II^o De libero arbitrio, «*anima de se | sit mutabilis a veritate in falsitatem, et ita quantum est de se non sit veritate | cuiusquam rei informata, sed informabilis, nulla autem res se ipsam formare potest, quia nulla res potest dare quod non habet*», oportet ergo quod aliquo alio, sincera veritate, de re informetur. Hoc autem non potest fieri per exemplar aliquod acceptum a re ipsa, ut prius ostensum est. Necesse est ergo quod ab exemplari incommutabilis veritatis formetur, ut vult AUGUSTINUS ibidem. Et ideo dicit libro De vera religione: «*Sicut eius veritate vera sunt quaecumque vera sunt, ita et eius similitudine similia sunt*». Necesse est ergo quod illa veritas increata in conceptu nostro se imprimat, et ad characterem suum conceptum nostrum transformet, et sic mentem nostram expressa veritate de re informet similitudine illa | quam res ipsa habet apud primam veritatem, secundum quod dicit XI^o De Trinitate: «*Ea quippe de illa prorsus exprimitur, inter quam et ipsam nulla natura interiecta est*».

Et quomodo sit ista expressio, declarat per simile, cum dicit XIV^o De Trinitate: «*Ubi sunt illae regulae scriptae quibus quid sit iustum, quid iniustum agnoscitur, nisi in libro lucis illius quae veritas dicitur, unde lex omnis iusta describitur et in cor hominis non migrando, sed tamquam imprimendo transfertur; sicut imago ex anulo et in ceram transit et anulum non relinquit?*» Et haec est lucis illius informatio qua, in quantum lucet, homo verax fit in intellectu; in quantum vero contingit, iustus fit in affectu. Secundum

QUAESTIO 2

quod de primo dicit AUGUSTINUS Super Ioannem, sermone 39°: «Factus est oculus tuus particeps huius lucis. Clausus est? Hanc lucem non minuísti. Apertus est? Hanc lucem non auxísti, sed est verax anima, est veritas apud Deum, cuius est particeps anima. Cuius particeps si non fuerit anima, omnis homo mendax est». De secundo vero dicit in Sermone quodam de expositione Sacrae Scripturae: «In Deo», inquit, «omne quod dicitur id ipsum est; neque enim in Deo aliud est potestas, aliud prudentia, aliud fortitudo, aliud iustitia, aliud castitas, quia haec animarum sunt, quas illa lux perfundit quodammodo et suis qualitatibus afficit, quomodo cum oritur ista lux visibilis, si auferatur, unus est corporibus omnibus color, qui potius dicendus est nullus color; cum autem illata illustraverit corpora, quamvis ipsa unius modi sit, pro diversis tamen corporum qualitatibus diverso ea nitore aspergit; ergo animarum sunt illae affectiones | quae bene sunt affectae ab illa luce quae non afficitur et formatae ab illa quae non formatur». Perfecta igitur, ut dictum est, informatio veritatis non habetur nisi ex similitudine veritatis menti impressae de re cognoscibili ab ipsa prima et exemplari veritate. Omnis enim alia impressa, a quocumque exemplari abstracto a re ipsa, imperfecta obscura et nebulosa est, ut per ipsam certum iudicium de veritate rei haberi non possit. Propter quod AUGUSTINUS comparat primam et iudicium per eam sereno aeri super nubem, secundam vero et iudicium per eam aeri nebuloso vel obscuro sub | nube, cum dicit IX° De Trinitate cap.° 6°: «Claret desuper iudicium veritatis ac sui iuris incorruptissimis regulis | firmum | est, etsi corporalium imaginum quasi quodam nubilo subtexitur. Sed interest utrum ego sub illa vel in illa caligine tamquam a caelo perspicuo secludar an sicut in altissimis montium accidere solet, et inter utrumque aere libero fruens et serenissimam | lucem | supra et densissimas nebulas subtilus aspiciam».

Et est sciendum quod dictus modus cognoscendi veritatem communis est et ad notitiam principiorum, ut supra in argumento tertio huius quaestionis, et ad notitiam conclusionum, ut patet in omnibus iam inductis. Et ita per hunc modum acquirendi notitiam veritatis verarum artium habitus in nobis generantur, qui in memoria reconduntur, ut ex eis iterato conceptus similes formemus, et quoad habitus, tam principiorum quam conclusionum, ut secundum hoc intelligamus illud AUGUSTINI IX° De Trinitate: «In illa | aeterna veritate visa mentis conspícuimus, atque inde conceptam veracem notitiam rerum tamquam verbum | apud nos habemus», quod in habitu memoriae concipitur, ut ad illam intelligentia revertens iterato verbum formet, et hoc per certam scientiam habeat etiam de rebus transmutabilibus, secundum quod dicit AUGUSTINUS XII° De Trinitate cap.° 14°: «Non solum rerum sensibílium in loco positarum», et cetera, ut supra in quaestione praecedenti in solutione quarti argumenti, ubi de hoc.

ARTICULUS I

Iste ergo est verior modus acquirendi scientiam et notitiam veritatis quam ille quem ponit ARISTOTELES ex sola sensuum experientia, si tamen sic intellexit ARISTOTELES et in idem cum PLATONE non consensit. Immo, quod verius creditur, etsi PLATONI in modo dicendi obviavit, occultando divinam doctrinam magistri sui, sicut et alii priores ACADEMICI, eandem tamen cum PLATONE de notitia veritatis habuit sententiam, secundum quod hoc videtur insinuasse cum loquens de veritatis cognitione dicit in II^o *Metaphysicae* quod *«illud quod est maxime verum sit causa veritatis eorum quae sunt post, et quod ideo dispositio cuiuslibet rei in esse sit sua dispositio in veritate»*. Propter quod dicit AUGUSTINUS in fine *De Academicis*: *«Quod autem ad eruditionem doctrinamque attinet et mores quibus consulitur animae, non defuerunt acutissimi ac solertissimi viri qui docerent disputationibus suis Aristotelem et Platonem ita sibi concinere ut imperitis minusque attentis dissentire videantur multis contentionibus. Sed tamen eliquata est, ut opinor, vera verissimae philosophiae disciplina. Non enim est ista huius mundi philosophia quam sacra detestantur, | sed alterius intelligibilis, cui animas multiformis erroris tenebris caecatas numquam ista ratio subtilissima revocaret, nisi summus Deus populari quadam clementia divini intellectus auctorem usque ad ipsum corpus humanum declinaret, cuius non solum praeceptis, sed etiam factis excaecatae animae redire in semet ipsas etiam sine disputationum | concertatione | potuissent», «cum iam», ut dicit in *Epistola ad Dioscorum*, *«Christianae aetatis exordio rerum invisibilium atque aeternarum fides per visibilia miracula salubriter praedicaretur hominibus qui nec videre nec cogitare aliquid praeter corpora poterant»*.*

Hoc ergo modo, qui mente excedente aliquid veritatis sincerae intelligit, in rationibus primae veritatis intelligit. *«Sed»*, ut dicit AUGUSTINUS *De videndo Deum*, *«forte hoc difficile est. Irruit enim de consuetudine carnalis vitae in interiores oculos nostros turba phantasmatum»*. *«Quae»*, ut dicit III^o *De Academicis* cap.^o 9^o, *«consuetudine rerum corporalium nos etiam cum veritas tenetur et quasi in manibus habetur, decipere atque illudere moliuntur»*. Igitur, ut dicit *De videndo Deum*, *«qui hoc non potest oret et agat ut posse mereatur, nec ad hominem disputatorem pulset ut quod non legit legat, sed ad Deum Salvatorem | ut quod non valet valeat»*. |

Ex puris igitur naturalibus exclusa omni divina illustratione nullo modo contingit hominem scire liquidam veritatem. Sed tamen adhuc restat quaestio utrum ex puris naturalibus possit scire eam. Si enim homo ex puris naturalibus | potest attingere ad illam lucis divinae illustrationem et per illam scire sinceram veritatem ex puris naturalibus, debet dici posse scire sinceram veritatem, licet sine illa illustratione eam scire non possit, sicut si ex puris naturalibus potest attingere ad prima principia disciplinarum et per illa scire alia ex puris naturalibus, dicitur

QUAESTIO 2

scire illa, licet ea non possit scire sine primis principiis. | Quod si ex puris naturalibus non possit attingere ad illam illustrationem, nec per illam ex puris naturalibus dicendus est scire liquidam veritatem, ut dictum est in principio solutionis huius.

Nunc autem ita est quod homo ex | puris naturalibus attingere non potest ad regulas lucis aeternae, ut in eis videat rerum sinceram veritatem. Licet enim pura naturalia attingunt ad illas, quod bene verum est — sic enim anima rationalis creata est, ut immediate a prima veritate informetur, ut iam prius | dictum est —, non tamen ipsa naturalia ex se agere possunt ut attingant illas, sed illas offert Deus quibus vult et quibus vult subtrahit. Non enim quadam necessitate naturali se offerunt, ut in illis homo veritatem videat, sicut lux corporalis, ut in ea videat colores, sicut nec ipsa nuda divina essentia. Secundum enim quod determinat AUGUSTINUS | De videndo Deum, «*si vult, videtur; si non vult, non videtur*». Unde et regulas aeternas Deus aliquando offert malis, ut in eis videant multas veritates quas boni videre non possunt, quia praescientia regularum aeternarum non offertur eis, secundum quod dicit AUGUSTINUS IV^o De Trinitate cap.^o 16^o: «*Sunt nonnulli qui potuerunt aciem mentis ultra omnem creaturam transmittere et lucem incommutabilis veritatis quantulumcumque parte contingere, quod Christianos | ex fide sola viventes nondum potuisse derident*». Eisdem etiam regulas aliquando eis subtrahit et eos in errorem cadere permittit, secundum quod super illud Iob XXXVIII^o, «*Immanibus abscondit lucem*», dicit GREGORIUS XXVII^o Moralium: | «*Immanes sunt qui se elatis cogitationibus extollunt. Sed his lux absconditur, quia nimis in cogitationibus suis superbientibus cognitio veritatis denegatur*». Aliis autem omnibus «*pro sua sanitate*» aspiciendum conceditur, ut dicit AUGUSTINUS I^o Soliloquiorum.

Absolute ergo dicendum quod homo sinceram veritatem | de nulla re habere potest ex puris naturalibus eius notitiam acquirendo, sed solum illustratione luminis divini, ita quod licet in puris naturalibus constitutus illud attingat, tamen ex puris naturalibus naturaliter attingere illud non potest, sed libera voluntate quibus vult se ipsum offert. |

<AD ARGUMENTA>

Ad singula argumenta aliquid respondendum est.

Quod ergo arguitur quod «sufficiencia nostra in cognoscendo ex Deo est», dicendum quod verum est tamquam specialiter illustrante in cognitione sincerae veritatis; in omni autem alia cognitione cogitationis non nisi sicut ex universali movente, ut dictum est iam. Et hoc sufficit

ARTICULUS I

ad intentionem APOSTOLI contra illos qui dicebant quod initium fidei esset ex nobis, contra quos ibi arguit. Si enim initium cognitionis non est ex nobis, sed ex Deo, ut ex primo motore in omni actione, et naturali et cognitiva, multo fortius nec initium fidei. Nec est intentio APOSTOLI contra hoc quin initium cognitionis magis sit ex nobis quam initium fidei, quia fidei initium requirit specialem illustrationem, non sic autem initium cognitionis, nisi sit de veritate sincera, ut dictum est. |

Ad secundum, quod «nemo | potest dicere 'Dominus Iesus'», etc.,| dicendum quod verum est verbo perfecto, ad quod requiritur consensus voluntatis. Perfectum enim verbum tunc est cum in eo quod mens novit voluntas delectata conquiescit. Unde dicit AUGUSTINUS IX^o De Trinitate quod «*verbum perfectum est cum amore notitia*». Unde sicut voluntas ex propria facultate naturali non potest assurgere in bonum sine specialis gratiae adiutorio, sic nec addicere tale verbum. Nec tamen sequitur quin simplex verbum veritatis non sinceræ poterit dicere sine omni speciali illustratione Spiritus Sancti. Unde dicit Glossa quod APOSTOLUS «*proprie*» posuit ibi hoc verbum 'dicere', significans «*voluntatem et intellectum dicentis*», et tale dicere circa ea quae sunt fidei purae non potest aliquis nisi ex fide. Unde de alio simplici dicere dicitur Matthaei VI: «*Non omnis qui dicit 'Domine, Domine'*», etc. |

Ad tertium, quod «*scientiarum spectamina non possunt intelligi nisi alio quodam quasi suo sole illustrentur*», dicendum quod verum est sincera veritate et omnino infallibili notitia. | Alio | tamen modo possunt intelligi in lumine lucis naturalis, ut dictum est supra. Propter quod dicit AUGUSTINUS XII^o De Trinitate: «*Credendum est mentis intelligibilis | ita conditam esse naturam ut rebus intelligibilibus naturali ordine disponente conditore subiecta sic videat ista in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis videt quae in hac luce corporea circumiacent, cuius lucis capax eique congruus est creatus*». |

Ad quartum, quod «*quidquid anima cogitat aut ratiocinatur ei luci tribuendum est a qua tangitur*», dicendum quod verum est de eis quae cogitat aut ratiocinatur cognoscendo liquidam veritatem. Alias autem non oportet, ut dictum est. |

Eodem modo dicendum est ad quintum. Vel dicendum quod videre verum in prima veritate potest esse aut sicut in eo quod est obiectum primo visum aut sicut in eo quod est ratio videndi tantum, ut in sequenti quaestione declarabitur. Primo modo omnis veritas videtur in prima veritate, sicut omne bonum in primo bono, quia quicumque videt verum hoc aut verum illud videt verum simpliciter in universali, quod Deus est, sicut qui videt bonum hoc vel bonum illud videt in universali bonum simpliciter, quod Deus est, ut dicit AUGUSTINUS VIII^o

QUAESTIO 2

De Trinitate et inferius determinabitur; secundo autem modo non nisi veritas sincere visa, ut dictum est. Et sunt isti duo modi cognoscendi verum, pulchrum, bonum, etc., quae nobilitatis sunt in Deo et conveniunt creaturis, notandi, quia de eis loquitur | AUGUSTINUS in diversis locis, quandoque secundum unum modum dicens non cognosci bonum, | pulchrum, verum, et huiusmodi in creaturis nisi per verum, pulchrum, bonum in creatore, quandoque vero loquitur secundum alium; sed omnis sua determinatio circa hanc materiam vergit in unum illorum modorum. |

Argumenta duo in oppositum bene probant quod veritas aliqua sine speciali illustratione divina ab homine possit sciri et cognosci, non tamen probant quod sincera.

Vel si velimus, possumus dicere, et forte melius, quod homo ex puris naturalibus suis sine omni supernaturali illustratione divini exemplaris assistentis potest per intellectum solum cognoscere id quod verum est de re sequendo sensum, ut dictum est | supra, clarius tamen cernendo quod verum est quam sensus cernat, quia «intellectus *subtilius apprehendit et plus infunditur in substantiam receptibilis* quam sensus, qui solum percipit *exteriora* secundum superficiem», ut dicit AVICENNA in IX^o Metaphysicae suae; quodque | veritatem ipsam rei nequaquam, sive in modico sive in multo, sine illustratione divini exemplaris possit percipere; et quod exemplar abstractum a re ad hoc non sufficiat per se, sed oportet conceptum de re ad exemplar acceptum a re determinari per divinum exemplar, ut si in illo | conceptu debeat videre veritatem sinceram et liquidam, clarius illustretur intellectus exemplari divino, et si aliquo modo, quantumcumque tenui, etiam tenuiter | ipso illustretur, et si nullo modo eo illustretur, nullo modo videat ipsam veritatem, ut dicamus quod huius exemplaris praesentatio secundum communem cursum vitae huius, quamquam gratuito concedatur nec naturalia animae sic sunt ordinata ut sua naturali operatione ad ipsum possint | attingere, omnibus tamen quantum est ex parte Dei aequaliter praesentatur, ut unusquisque secundum dispositionem et capacitatem suam eo illustretur, nisi exigente eminente malitia aliquis mereatur ut ei omnino subtrahatur, ne ullam veritatem omnino videat, sed totaliter infatuatur in omni cognoscibili, ut in alio determinato ne videat veritatem in eo, sed dilabatur in errorem quem meretur — et sic secundum determinationem AUGUSTINI nulla veritas videtur omnino nisi in prima veritate —, et quod hoc est naturale creaturae rationali, quod solum possit ex puris naturalibus in cognitionem eius quod verum est de re, et non ultra in cognitionem ipsius | veritatis nisi per illustrationem divini exemplaris, et hoc propter

ARTICULUS I

eminentiam actus intelligendi ipsam veritatem, ut dictum est supra.

Et secundum hanc viam ad primum argumentum in oppositum, quod «nisi homo ex puris naturalibus posset in cognitionem veritatis, frustra | eam investigaret», dicendum quod sine illa illustratione nec valeret homo eam investigare in tantum ut ad veritatis notitiam ex puris naturalibus investigando pervenire posset. Sed hic solum valet cum adiutorio illius illustrationis, sic existente anima rationali in naturalibus creata. |

Ad secundum, quod «homo naturaliter scire desiderat, ergo potest scire ex puris naturalibus», dicendum quod verum est, non tamen sic ut ipsam veritatem ex puris naturalibus videat, sicut dictum est. Naturali enim appetitu bene desiderat homo scire etiam illa quae sunt supernaturaliter cognoscenda, quae tamen secundum communem illustrationem a divino exemplari sine illustratione specialiori non posset attingere, ut infra videtur. |

QUAESTIO 3

UTRUM HOMO COGNOSCAT LUCEM DIVINAM QUA COGNOSCIT ALIA

Circa tertium arguitur quod cognoscendo aliqua speciali illustratione divina homo cognoscit illam lucem qua illustratur.

Primo sic. AUGUSTINUS dicit IX^o De Trinitate cap. 7^o: «*In illa arte qua temporalia facta sunt omnia formam secundum quam sumus visu mentis conspicimus*». Illa autem est lux | praedicta, quia, ut dicit AUGUSTINUS principio Soliloquiorum, «*Deus intelligibilis lux est, in quo et a quo et per quem intelligibiliter lucent quae intelligibiliter lucent omnia*». Ergo etc.

Secundo sic. AUGUSTINUS dicit De vera religione: «*Lux omnium artium cum sit omnino immutabilis, mens vero, cui talem artem videre concessum est, mutabilitatem pati potest*». Si videre, ergo cognoscere.

Tertio sic. AUGUSTINUS dicit super Ioannem Sermone 35^a: «*Lumen | et alia demonstrat et se ipsum*», «*quia sine lumine non potes videre quodlibet aliud quod non est lumen. Si idoneum est lumen ad demonstrandum alia quae non sunt lumina, numquid in se defecit? Numquid se non aperit, sine quo aliud patere non potest?*» Quasi dicat: «utique», ergo etc.

Quarto sic. I^o Soliloquiorum cap. 12^o dicit AUGUSTINUS: «*Lux quaedam est intelligibilis et incomprehensibilis mentium. Lux ista vulgaris nos doceat, quantum potest, quomodo illa se habet*». Sed lux vulgaris non potest

QUAESTIO 3

esse ratio videndi alia, quin ipsa simul videatur, quia est primum visibile, et ut dicitur I^o PERSPECTIVAE, «lux | non videtur nisi admixta | coloris». Ergo etc.

Quinto sic. IX^o De Trinitate dicit AUGUSTINUS: «De illis secundum illam iudicamus et illam cernimus rationalis mentis intuitu secundum aciem mentis simplici intelligentia capiendo».

Sexto sic. AUGUSTINUS dicit in Epistola ad Consentium: «Invisibili simplici mentis ac | rationis intentione conspiciamus ipsum quoque lumen quo cuncta ista cernimus, quod tam nobis certum est quam nobis efficit certa quae secundum ipsum conspiciamus».

In contrarium est illud quod dicit in Epistola ad Italicam exponens illud APOSTOLI: «Cum venerit Dominus et illuminabit abscondita tenebrarum»: «Erit ergo tunc mens idonea, quae lucem illam videat, quod nunc nondum est». |

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc quod sic est in omni nostra cognitione, tam sensitiva quam intellectiva, quod nihil cognoscitur a nobis, neque cognitione | simplicis notitiae neque cognitione discretiva, quin se habeat | in ratione obiecti respectu virtutis cognitivae, ita quod illud quod est ratio cognoscendi respectu alterius tantum, quod habet rationem obiecti, nullo modo potest dici esse per se et in se cognitum a nobis, ut puta species sensibilis in oculo, quia <quod> ponitur supra sensum nullum potest facere sensum, neque species intelligibilis informans intellectum. Lux autem divina illustrans mentem in notitiam veritatis sinceræ vel etiam cuiuscumque solum se habet ut ratio intelligendi, non ut obiectum visum et intellectum. Idcirco absolute dicendum est quod sic alia facit videri, ut in se non videatur, nec simpliciter nec distinctivè. Cuius duplex est | ratio: una quae sumitur ex natura ipsius lucis; alia quae sumitur ex modo illustrationis eius.

Ratio igitur ex parte ipsius lucis est quod ipsa non est ratio cognoscendi sinceram veritatem in aliis sub ratione alicuius generalis attributi Dei, quale a nobis cognoscibile est in hac vita, ut infra videbitur, sed ut est ipsa divina substantia et ars increata in suo esse particulari, quae ut obiectum sine lumine gloriae in vita futura vel specialis gratiae in praesenti a mente humana videri non potest, ut dictum est supra. Hac autem luce in hac vita non solum | a bonis, sed etiam a | malis multae veritates sinceræ vel etiam omnes veritates qualescumque videntur, secundum quod dicit AUGUSTINUS IX^o De

ARTICULUS I

Trinitate: «Impii cogitant aeternitatem, et multa recte reprehendunt, recteque laudant in hominum moribus. Quibus tandem regulis ea iudicant nisi in quibus vident quemadmodum quisque | vivere debeat, etiamsi non ipsi eo modo vivant? Ubi scriptae sunt nisi in libro lucis aeternae?» etc. Frequenter etiam veritatem vident in ea mali quam non possunt videre boni, ut dictum est supra in quaestione proxima. Ipse etiam diabolus, si quid veritatis sincerae vel etiam qualiscumque videt, in ipsa videt, secundum quod dicit AUGUSTINUS De sermone Domini in monte: «*Voce Dei*», inquit, «*audivit* quod voce veritatis scriptae intus in mente sua *verum* aliquid *cogitavit*». |

Ut autem ex modo illustrationis videamus quomodo ars divina, quae est ipsa Dei essentia, in suo esse particulari possit esse ratio cognoscendi et videndi alia, et tamen ipsa nec cognoscatur nec videatur, considerandum est in simili de visione oculi corporalis. In ipso enim ad completionem actus videndi, quo lux illustrat ad videndum aliud a se, ut coloratum, tria requiruntur ex parte obiecti quod in nobis operatur actum videndi, quibus in actu nostro sinceram veritatem sive veritatem simpliciter intelligendi ex parte Dei operantis ipsum in nobis respondent alia tria. Similitudinem enim et proportionem habent ad invicem | haec tria: videns, visibile, et quo videmus, in sensu et in intellectu, secundum quod dicit AUGUSTINUS I° Soliloquiorum: «*Disciplinarum quaeque certissima talia sunt, qualia illa quae sole illustrantur, ut videri possint, veluti est terra et terrena omnia. Deus autem ipse est qui illustrat. Ego autem ratio sum in mentibus, ut in oculis est aspectus*». Primum illorum quae requiruntur in visu corporali est lux illuminans organum ad acuendum. Secundum est species coloris immutans eum ad intuendum. Tertium configuratio determinans eum ad discernendum. Primum operatur lux, quia in organo tenebroso virtus visiva iacet | quasi obtusa, et nisi iste actus lucis in oculo praecederet, numquam color suo actu speciem | suam immittendo oculo ipsum immutaret, nec vis visiva aliquid conciperet, etiamsi sine luce species coloris in organum se diffunderet, ut secundum hoc intelligamus quod dicit PHILOSOPHUS II° De anima: «*Color est motivum visus secundum actum lucidis*». |

Sed hic est intelligendum quod lux potest se diffundere in oculo a corpore luminoso dupliciter: uno modo aspectu directo — sic non solum illuminat ad videndum alia a se, sed ad | se ipsum videndum et discernendum etiam immutat—; alio modo potest | se diffundere aspectu obliquo — primo directo aspectu super visibilem colorem, secundo cum colore ad visum. Sic autem solum ad videndum et manifestandum alia a se illuminat. Si enim esset medium illuminatum et nullum in directo aspectu | ad oculum esset | obstaculum quod visum

QUAESTIO 3

in se terminaret et sua luce aut colore immutaret, ut si medium illuminatum esset infinitum, visus quasi sese erigendo circumquaque se diverteret, quaerendo circumquaque si forte occurreret aliquod quod intueri posset. Sicut modo species coloris diffusa per totum medium a corpore colorato a quolibet puncto medii facit se in visum, et tamen non immutat ad intuendum se, nisi ut procedit directo aspectu a superficie corporis colorati in quo color habet esse terminatum quo est per se visibile, non autem in aliquo puncto medii. Hoc ergo est secundum quod requiritur ad perfectum actum videndi species secundum rectum aspectum diffusa a per se visibili, immutans ad intuendum.

Quia tamen per se et primo visibile, sicut lux aut color ratione qua lux aut color est, non determinat dispositionem rei visae qua distinguitur et distincte | cognoscitur unum coloratum esse differens et diversum ab alio, sed hoc facit solum character figurae corporis colorati quem secum defert color tamquam similitudinem et imaginem rei visae — similitudinem ratione coloris, imaginem ratione characteris — et characterizat visum perfecta similitudine et imagine rei visae. Hoc ergo est tertium quod requiritur ad perfectum actum videndi, transfiguratio determinans ad discernendum. |

His tribus respondent tria in visione intellectuali ex parte Dei, qui est ratio operans actum intelligendi. Primo enim est lux spiritualis oculus mentis illuminans ad visum eius acuendum, I o a n n i s I^o: «*Erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*». Secundo est forma sive species immutans eum ad intuendum, propter quod dicitur De spiritu et anima | cap.^o 8^o: «*Anima, nulla interposita natura, ab ipsa veritate formatur*». Tertio est figura sive character configurans eum ad discernendum. «*Est enim ars quaedam omnipotentis Dei plena omnium | rationum viventium*», ut dicit AUGUSTINUS VI^o De Trinitate cap.^o ultimo. Et ideo dicitur I o a n n i s I^o: «*Quod factum est in ipso vita erat*». Sunt enim illae rationes tamquam omnium figurationum in naturis rerum characteres et exemplaria perfectissima et configurationes expressissimae. Et est ipsa divina essentia respectu intelligibilis visionis in oculo mentis, sicut illa tria respectu corporalis visionis in oculo corporis, praeter hoc quod ipsa divina natura quam intima est omni rei. Haec omnia facit non menti ut dispositio eius inhaerendo, sicut inhaerent species lucis, species coloris, species figurae oculo corporis, sed ipsi intime illabendo, secundum quod dicitur De Ecclesiasticis Dogmatibus: «*Illabi illi soli possibile est qui creavit*». Et facit ibi intima eius praesentia ad visum intellectus ei assistendo quae faciunt species visibilium in oculo corporis vel species

ARTICULUS I

intelligibilis oculo mentis ei inhaerendo. Unde dicit AUGUSTINUS II^o De libero arbitrio: «*Transcende animum ut numerum sempiternum | videas; iam tibi de ipsa interiori sede | fulgebit et de ipso secretario veritatis*». Et propter ista tria dicitur Deus a sanctis aliquando ratio intelligendi ut lux, aliquando ut species sive forma, aliquando vero ut exemplar sive idea vel regula. Sed tamen in qualibet intellectuali cognitione perfecta est ratio intelligendi secundum haec tria, et secundum illa tria quae | ponit AUGUSTINUS I^o Soliloquiorum cum dicit: «*Non est habere | oculos sanos quod aspicere, aut idem hoc est aspicere quod videre. Ergo anima<e> tribus quibusdam rebus opus est ut oculos sanos habeat quibus iam uti possit, ut aspiciat, ut videat*», quae quidem tria ratio videndi quae Deus est, faciat in oculo mentis diversimode secundum illa tria.

Est enim primo ratio cognitionis ut lux, mentem solummodo illustrando, ut ad intuendam sinceram veritatem vel etiam simpliciter veritatem rei acuatur, non ut eam intueatur et iam videat. Deus enim ut lux in mente non facit illuminando nisi quod oculum mentis | a nebulis pravarum affectionum et fumo phantasmatum purget, et quasi spiritualem sanitatem ei tribuat contra languorem caecitationis a dictis affectionibus et phantasmatibus, quae passus fuerat, ad modum quo lux materialis tenebras purgat in aere vel oculo corporis, in quibus etiam oculus diu persistens languorem contrahit cuiusdam caecitationis. Hinc AUGUSTINUS dicit XI^o De civitate Dei cap.^o 10^o: «*Non inconvenienter dicitur sic illuminari anima luce incorporea | simplicis sapientiae Dei, sicut illuminatur aeris corpus luce corporea, et sicut tenebrescit aer iste desertus luce, ita tenebrescere animam luce sapientiae privatam*». Unde super illud Threnorum, ultimo, «*Converte nos et convertemur*», dicit Glossa: «*Est quoddam velamen sensibus nostris obiectum quod nisi illuminatione Dei fuerit remotum, converti non valemus*». Et eius remotio est cuiusdam sanitatis restitutio, secundum quod dicit I^o Soliloquiorum, «*Oculi sani mens est ab omni labe corporis pura*». | «*Nihil*» enim, ut dicit consequenter, «*plus novi quam ista sensibilia esse fugienda, cavendumque magno opere est, dum hoc corpus agimus, ne quo eorum visco pennae nostrae impediuntur, quibus integris perfectisque opus est, ut ad illam lucem ab his tenebris | evolemus*». Interim autem, ut dicitur ibidem, «*pro sua quisque sanitate ac firmitate comprehendit illud singulare et verum lumen*», et hoc differenter, secundum quod determinat. Quorundam enim oculi mentis ita *sani et rigidi* sunt, ut ad illud lumen immediate *se convertant*; qui per se vera in illa luce vident, et non doctrina, *sed sola fortasse admonitione indigent*. Aliorum autem sunt qui non ad illud lumen immediate se convertere possunt, sed ad lumen in specie aliqua; qui debent paulatim manuduci et serenari, ut in illud lumen aspicere valeant, sicut declarat in luce corporali quod

QUAESTIO 3

«quorundam oculi sunt ita sani et rigidi, ut eos sine ulla trepidatione in ipsum solem convertant, quem alii videre | non possunt, sed vehementer fulgore feriuntur, et eo non viso in tenebras cum delectatione redeant. Et ideo prius exercendi sunt, primo | videndo non lucentia per se, sed luce | illustrata, ut lapides et ligna, deinde fulgentia, | ut aurum et argentum, deinde ignem, deinde lunam, deinde fulgur aurorae».

Unde PLATO, qui secundum AUGUSTINUM XIII^o De Trinitate «posuit animas vixisse ante corpora» et liberam idearum lucem percepisse, posuit quod animae nube corporis obumbratae primo nullam habuerunt sinceræ veritatis cognitionem in idearum luce, sed solum phantasticam in luce creaturae, sed quod abstractione a sensibus corporis semper magis ac magis depurarentur et veritate sincera in idearum luce illustrarentur quasi reminiscendo sub nube corporis oblita, ita quod in nuda luce idearum, quae est divina essentia, veritates rerum videre non poterint nisi totaliter a corpore et | sensibus corporis vel per mortem vel per raptum fuerint | abstractae. Unde dicit AUGUSTINUS I^o Soliloquiorum quod «illa lux se ostendere dedignatur in hac cavea inclusis, ut ista vel effracta vel dissoluta possint in aures suas evadere».

Et est advertendum quod lux ista, quando illuminat mentem directo aspectu, tunc illuminat ad videndum | tamquam obiectum ipsam divinam essentiam, quae ipsa est. Quod modo in vita ista facere non potest, quia infirma mens non valet in directum huius lucis fulgorem aciem mentis figere, secundum quod dicit AUGUSTINUS I^o De Trinitate cap.^o 2^o: «Est acies mentis nostrae invalida, nec in tam excellenti luce figitur nisi per virtutem fidei nutrita vegetetur», «ut ad perceptionem incommutabilis veritatis imbecillem mentem observata pietas sanetur». Sed haec sanitas, nisi vinculo corporis solutae fuerint, eis advenire non poterit, secundum quod dicit in Epistola ad Italicam, unde sumptum erat | argumentum ultimum: «Cum venerit Dominus et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit cogitationes cordis», «lux ipsa qua illuminabuntur haec omnia, qualis aut quanta sit, quis lingua proferat? Quis saltem infirma mente contingat? Profecto lux Deus est. Erit ergo tunc mens idonea, quae illam lucem videat, quod nunc nondum est».

Quando vero lux ista illuminat quasi obliquo aspectu a suo fonte, tunc illuminat ad videndum alia a se, sicut lux obliquata a sole in medio illuminat ad videndum alia a sole, non ipsum solem. Et ideo sicut lux ista solis materialis non illuminat oculum | ad videndum se nisi in recto aspectu, sed alia tantum, sic divina lux, cum quasi obliquo aspectu illuminat, solum illuminat ad videndum alia a se, se ipsam autem nequaquam. Sic autem illuminat secundum communem huius vitae statum ad cognoscendum sinceram veritatem vel etiam quamcumque

ARTICULUS I

rerum primo diffundendo se super species rerum et ab illis in mentem ad formandum in ipso perfectum conceptum de re ipsa ad modum quo lux corporalis | primo diffundit se super colorem | ad informandum visum perfectum oculi. Et ita sicut «*color est motivum visus secundum actum lucidi corporalis*», sic res quaelibet intelligibilis per suam speciem est motivum visus mentis ad sinceræ veritatis vel etiam qualiscumque cognitionem secundum actum lucidi spiritualis. Debet autem ad propositum ista similitudo sufficere, quia, ut dicit AUGUSTINUS I^o Soliloquiorum cap.^o 21^o, «*Lux | quaedam est invisibilis et incomprehensibilis mentium. Lux ista vulgaris nos doceat quomodo illa se habeat*». Sic ergo, in quantum Deus est ratio videndi et intelligendi sub ratione lucis illuminantis solum ad videndum alia a se, nullo modo hic a nobis cognoscitur | aut videtur, quia solum est ratio videndi, nullo autem modo obiectum visus.

Secundo modo Deus est ratio cognitionis ut forma et species mentem immutans ad intuendum, secundum quod dicit AUGUSTINUS II^o De libero arbitrio: «*Anima quadam forma incommutabili desuper praesidente et interius manente formatum*». Quae, ut forma est, imprimit per modum indistinctae cognitionis ad modum quo species coloris apud visum, quae imprimit formam sine figurae determinatione; unde nullam distinctam cognitionem facit de re. Et quia in tali notitia adhuc est ut ratio solum disponens et formans indistinctos conceptus mentis ad cognoscendum rerum veritates, non ut obiectum cognitum, ideo adhuc non solum non cognoscitur cognitione distinctiva, sed nec simplici notitia.

Tertio modo est ratio cognitionis ut exemplar atque character transfigurans mentem ad distincte intelligendum, et hoc ratione aeternarum regularum in divina arte contentarum, quae conditiones | rerum omnes et circumstantias exemplant tamquam figurae exemplares omnes angulos et sinus earum indicantes in quibus expressa rei veritas continetur, quam res ipsa in se continet habendo quidquid de ipsa suum exemplar repraesentat; quae in tantum falsa esset in quantum ab illa deficeret, sicut imago dicitur falsa in quantum deficit ab imitatione sui exemplaris. Et propter hoc proxima | et perfecta ratio cognoscendi sinceram veritatem vel simpliciter veritatem de re quacumque, perfecta, distincta atque determinata cognitione, est divina essentia in quantum est ars | sive exemplar rerum imprimens ipsi menti verbum simillimum veritati rei extra per hoc quod ipsa continens est in se ideas et regulas aeternas, | expressissimas omnium rerum similitudines, quas imprimit conceptibus mentis; per quod etiam sigillat et caracterizat ipsam mentem imagine sua et expressissima, sicut anulus ceram; quae «*non*

QUAESTIO 3

migrando, sed | tamquam imprimendo, transfertur, ut dictum est. Si enim verbum veritatis in mente de re quacumque est *«formata cogitatio ab ea re quam scimus»*, ut dicitur XV^o De Trinitate cap.^o 9^o, et *«veritas est adaequatio rei et intellectus»*, verbum perfectum veritatis debet esse *formata cogitatio* | secundum summam et perfectam similitudinem ad ipsam rem, quae non potest esse nisi exemplar illud aeternum, quod perfectam et expressissimam similitudinem rei in se continet, | [in] *«nulla ex parte dissimilem»*, ut dicit AUGUSTINUS in fine De vera religione, quia *«plena est omnium rationum viventium»* et ideo expressissima omnium similitudo, ad quam omne quod est tamquam simile a simili productum est, et ad cuius imaginem et imitationem habet quidquid in eo veritatis est. Propter quod dicit AUGUSTINUS IX^o De Trinitate cap.^o 7^o: *«In illa aeterna veritate visu mentis conspiciamus, atque inde conceptam rerum veracem notitiam tamquam verbum apud nos habemus quod dicendo intus gignimus nec a nobis nascendo discedit»*.

Et nota quod licet talem conceptum perfectae similitudinis in mente format solummodo divinum exemplar, quod est causa rei, cum hoc tamen ad conceptus formationem necessarium est exemplar acceptum a re, ut est species et forma rei a phantasmate | accepta in mente. Sine illa enim nihil de re quacumque concipere potest intellectus noster in tali statu vitae in quali sumus. Sine forma enim et specie generali habita de re non potest habere generalem de ea notitiam, sine forma speciali non potest habere notitiam specialem, et sine forma particulari vel speciali particularibus conditionibus determinata non potest habere notitiam particularem. Quam exemplar aeternum debet illustrare et cum ea in conceptu mentis ad veritatem sinceram vel etiam veritatem simpliciter percipiendam impressionem | facere, sicut lux corporalis illustrando colores cum eis facit impressionem ad informandum visum, ut sic verbum quod non est simillimum neque sincerae veritatis seu etiam veritatis simpliciter expressivum, formatum a sola specie et exemplari accepto a re, si tamen ad illud exemplar sine adiutorio et impressione exemplaris aeterni verbum aliquod poterit informari, fiat simillimum et sincerae veritatis vel etiam veritatis | simpliciter expressivum solum ab exemplari aeterno. Unde de Moyse, cuius nullam habemus notitiam particularem per speciem ab ipso abstractam, nullum veritatis verbum ad ipsum cognoscendum potest in nobis formari, et cum Petrus vidit eum in transfiguratione ex sola specie recepta ab ipso, nescivisset quia Moyses fuisset, nisi specialem revelationem de eo habuisset. |

Ad videndum ergo formationem talis verbi in nobis et mentis informationem ad cognitionem sincerae veritatis vel cuiuscumque,

ARTICULUS I

sciendum quod duplex species et exemplar rei debet interius lucere in mente tamquam ratio et principium cognoscendi rem: una scilicet species accepta a re, quae disponit mentem | ad cognitionem ipsi inhaerendo; altera vero est quae est causa rei, quae non disponit mentem ad cognitionem ei inhaerendo, sed ei illabendo et praesentia maiori quam inhaerendo, in ea lucendo. Istis siquidem duabus speciebus exemplaribus in mente concurrentibus, | ut ex duabus confecta una ratione ad intelligendum rem cuius sunt exemplar, mens concipiat verbum veritatis perfecte informatae ad perfectam assimilationem veritatis quae est in re, in nullo disconvenientis, ut ad modum quo prima veritas sigillavit rem veritate quam habet in essendo, sigillet etiam mentem ipsam veritate quam habet in eam cognoscendo, ut eadem idea veritatis qua habet res suam veritatem in se, habeat de | ea veritatem ipsa anima, ut sic sit expressa similitudo verbi ad rem ipsam et | utriusque ad eius exemplar primum, sicut est expressa similitudo duarum imaginum in diversis ceris ab eodem sigillo et inter se et utriusque ad exemplar commune in ipso sigillo.

Et sunt in conceptu huius verbi duo consideranda, ut perfecte discernamus | quid agat in ea exemplar temporale, et quid exemplar aeternum. Est enim in eo considerare aliquid materiale et incompletum, et aliquid formale et completum, ut illud incompletum fiat perfectum et completum. Ex exemplari | enim accepto a re habet quod materiale est in ipso, et incompletam similitudinem ad veritatem rei, sicut ipsum est similitudo rei incompleta, per quam ex puris naturalibus mens nata est concipere veritatem rei incompletam, si tamen ad hoc possit ex se sine exemplari aeterno, ut dictum est supra in quaestione proxima, quia forte, sicut in fine illius quaestionis dictum est, illud exemplar acceptum a re, quod dicitur similitudo rei incompleta, non sufficit ad hoc, ut mens ex solis naturalibus veritatem rei, etiam quantumcumque incompletam, concipiat sine illustratione et informatione divini exemplaris. Ex exemplari autem aeterno recipit complementum et informationem perfectam, ut sit verbum expressae similitudinis ad rem extra, | sicut ipsa species aeterni exemplaris per illius ideam propriam est perfectissima similitudo, ad quam res ipsa est producta, et per quam solummodo habetur de re in mente vel simpliciter vel sincera veritas et infallibilis scientia. |

Et cum tale verbum perfectae veritatis formatum fuerit in anima, est ibi considerare tres veritates sibi correspondentes: primo veritatem exemplaris divini; secundo veritatem rei productae ab illa; tertio veritatem in conceptu mentis ab utraque expressam, quae est tamquam conformitas utriusque et ex utriusque ratione concepta et menti

QUAESTIO 3

impressa, qua mens formaliter vera nominatur. Quantum enim est ex parte rei extra, ratio conceptus illius est species eius apud animam; quantum vero ex parte Dei, ratio eius est exemplar aeternum lucens in eius intelligentia. Et quia ista species accepta a re est imperfecta ratio conceptus dicti verbi, lux vero Dei est perfecta ratio eius, ut dictum est, ideo dicit AUGUSTINUS I^o libro De libero arbitrio quod in cognitione veritatis rerum veritas aeterna exterius *«admonet, interius docet, de illa nullus indicat, sine illa nullus recte indicat»*. Admonet quidem per speciem acceptam a re, quam ad suam similitudinem produxit, secundum quod dicit ibidem libro II^o: *«O suavissima lux purgatae mentis sapiential! Non cessas innuere nobis quae et quanta sis, et nutus tui sunt omne creaturarum genus»*. Docet autem | per illam similitudinem eandem qua rem ipsam produxit, *«ut dispositio cuiusque rei in esse sit sua dispositio in veritate et cognitione»*.

Unde patet quod peccant qui ponunt quod prima principia et regulae speculabilium sunt impressiones quaedam a regulis veritatis aeternae, et cum hoc non ponunt aliquam aliam impressionem fieri aut informationem in nostris conceptibus a luce aeterna quam illam solam quae fit a specie | a re accepta adiutorio lucis naturalis ingenitae. Nisi enim conceptus nostri a luce aeterna assistente nobis formarentur, informes manerent nec veritatem sinceram vel etiam veritatem simpliciter continerent, ut dictum est. Nec potens est lumen naturalis rationis ut ad ipsam concipiendam illuminare sufficiat, nisi lumen aeternum ipsum accendat. Et ideo AUGUSTINUS docens inquirere notitiam sincerae veritatis dicit De vera religione: *«Noli foras ire, in te ipsum redi, ratiocinantem animam transcende. Illuc ergo tende, unde ipsum lumen rationis accenditur»*. Unde nec bene dicunt quod AUGUSTINUS intendit videri | in regulis aeternis illa quae | videntur in illis principiis, ut a luce tamen aeterna speciali illustratione non impressis. |

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod *«in illa arte qua temporalia facta sunt formam secundum quam sumus mente conspiciamus»*, dicendum quod in illa arte tamquam in ratione conspiciendi illam formam conspiciamus, non in se, sed in imagine sua quam verbo mentis nostrae imprimit, quod nos conspiciamus. Et hoc est quod dicit IX^o De Trinitate cap.^o 9^o: *«Cum deum novimus, fit aliqua Dei similitudo in nobis, inferior tamen quia in inferiori natura»*.

Per idem dicendum ad | secundum quod menti concessum est

ARTICULUS I

illam artem videre in eo quod ab illa impressum est, sicut sigillum videtur in imagine sua impressa in cera. |

Ad tertium quod lumen materiale monstrat se, tam ex recto aspectu a corpore luminoso quam aspectu reflexo ab illo, | directo tamen ab obstaculo obiecto utroque modo, per quandam necessitatem naturae, | et ideo monstrando alia, in eo quod est ratio videndi ea, non potest se occultare quin etiam monstret se in ratione obiecti. Sed lux divina non monstrat se nisi voluntarie, quando vult et quibus vult, et ideo bene potest esse ratio videndi alia, licet non monstret se. Et quod non monstrat se non est ex defectu suo quin possit se summe monstrare. Sed non vult se monstrare nisi dispositis.

Per idem patet ad quartum quod non est omnino simile de ista duplici luce. |

Ad quintum quod *«illam lucem cernimus simplici mentis intuitu»*, dicendum, ut dictum est, quod cernimus non in se, sed in impresso ab ipsa, vel dicendum ad hoc et ad omnia alia consimilia quod cernere sumit hic large pro intellectu attingere quocumque modo, sive ut obiectum cognitum sive ut rationem cognoscendi. Et verum est secundum dicta quod videndo alia per istam lucem ipsam attingimus ut rationem cognoscendi, quod appellatur hic *cernere simplici mentis intuitu* et conspici et cognosci extendendo huiusmodi nomina. |

Ad sextum quod *«lumen hoc tam certum nobis est, quam reliqua certa facit»*, dicendum quod verum est, sed alio et alio modo, quia alia facit nobis certa cognoscendo | ea in propria natura, se ipsum facit nobis certum cognoscendo ipsum in verbo cognito impresso ab ipso. Quod innuit per hoc quod adiungit in eadem auctoritate quasi exponendo quomodo se facit certum, cum subdit: *«Si autem aliquis splendor in nobis est qui vera sapientia dicitur, quantumcumque eius per speculum et in aenigmate capere possumus, oportet eam et ab omnibus corporibus et ab omnibus corporum similitudinibus segregemus»*. | Illa autem eius certitudo in verbo impresso ab ipsa revera | est *«speculum et aenigma»*, et ita cognitio in ipso est cognitio in speculo et in aenigmate. |

QUAESTIO 4

UTRUM CONTINGAT HOMINEM SCIRE A NATURA AN AB ACQUISITIONE

Circa quartum arguitur quod scire contingit homini a natura.

Primo sic. Potentia naturalis naturaliter potest in suam

QUAESTIO 4

operationem, quia qualis | est potentia, talis debet esse actus respondens ei, cum «*potentiae determinantur per actus*», II° De anima. Potentia cognitiva in homine est potentia naturalis cuius operatio est scire et intelligere. Ergo etc.

Secundo sic. «*Natura non deficit in necessariis*», II° De generatione. Scientia homini necessaria est | ad regimen vitae et ad finem eius, qui est beatitudo, secundum PHILOSOPHUM X° Ethicorum. Ergo natura non deficit homini ad actum sciendi. Sed homo potest naturaliter id in quo natura ei non deficit. Ergo etc.

Tertio sic. Quanto virtus superior est et perfectior, tanto perfectius potest in suam operationem. Vis cognitiva intellectiva perfectior est et superior quam sensitiva. Sensitiva autem potest per se sine omni acquisitione naturaliter in suam operationem sentiendi. Ergo multo fortius intellectiva in suam operationem sciendi et intelligendi, cum perfectius sit scire et intelligere statim sine inquisitione quam per inquisitionem. |

Quarto sic. Quanto aliquid est superius in natura, tanto paucioribus acquirit suam perfectionem, secundum quod orbis primus bonitatem perfectam suam acquirit unico motu simplici, quam orbis inferiores acquirunt pluribus motibus, secundum PHILOSOPHUM II° Caeli et mundi. Cognitiva intellectiva superior est sensitiva, et illa uno actu simplicis intuitionis perficitur in suo actu sentiendi, | ergo et intellectiva multo fortius in suo actu sciendi et intelligendi. Sed hoc non est nisi sciendo et intelligendo naturaliter sine inquisitione. Ergo etc. |

Quinto sic. «*Puer gradatim et artificiose interrogatus tamquam peritissimus disciplinae respondet ad omnia interrogata geometrae*», ut dicit AUGUSTINUS auctoritate PLATONIS XII° De Trinitate. Hoc autem non posset facere nisi naturaliter habendo illius artis peritiam. Ergo etc.

Sexto sic. In animali perfectiori perfectior debet esse natura, quia in perfectione sibi naturalium consistit perfectio rei naturalis. Sed homo est animal perfectius ceteris, quia habet quod habet omne animal aliud, et amplius. Et omne animal aliud ex perfectione suae naturae habet scientiam naturalem necessariam sibi in regimine | vitae, ut apes, formicae, et aranae, et cetera huiusmodi. Ergo et homo ex perfectione suae naturae debet habere naturaliter scientiam sibi necessariam ad regimen vitae suae. Talis est omnis scientia sibi debita. Ergo omnem huiusmodi scientiam debet habere a natura sine acquisitione.

Septimo sic. Illud agit homo naturaliter quod agit solo duce natura. Scire et | intelligere agit homo solo ductu naturae, id est naturalis rationis. Ergo homo naturaliter scit et intelligit.

Octavo sic. Qui naturaliter transit per viam aliquam naturaliter

ARTICULUS I

pervenit ad terminum viae. Via autem deducens ad sciendum syllogismus est. Maxime via syllogismi homo vadit naturaliter in omnibus suis operationibus, secundum quod probatur in *Perspectiva* quod *puer* naturaliter habet artem syllogizandi, eo quod demonstrato ei pomo pulchriori et minus pulchro intelligit naturaliter quod *pulchrius* in quantum huiusmodi *melius est et magis eligendum*, et videns de duobus pomis quod alterum est pulchrius, quasi concludendo *accipit pulchrius et dimittit* minus pulchrum. Ergo homo naturaliter venit in actum sciendi. Hoc autem est scire a natura, non ab acquisitione. Ergo etc.

Oppositum arguitur primo sic. Ad illud quod | contingit homini a natura, non indigemus studio et tempore, quia natura non deliberat ad habendum scientiam. Et ad scire indigemus studio et tempore, secundum quod dicitur II° *Ethicorum* de virtute intellectuali quod *«plurimum ex doctrina habet generationem et augmentum, ideoque experimento indiget et tempore»*; quo scilicet studio insistentes habitum acquirimus quo scimus et intelligimus, secundum quod dicit PHILOSOPHUS VII° *Ethicorum*: *«Primum discentes complectuntur quidem sermones, sciunt autem nequaquam. Oportet enim nasci»*, id est *«velut naturam fieri habitum, et sic intelligere»*, secundum COMMENTATOREM. *«Hoc autem tempore indiget»*. Ergo etc.

Secundo sic. Quod alicui speciei contingit a natura, aequaliter invenitur in omnibus individuis eius, ut in hominibus esse risibile. Sed scire non invenitur aequaliter in omnibus hominibus. Ergo etc. |

<SOLUTIO>

Difficultas contingens | in hac quaestione circa scientiam, qualiter contingat hominibus, contingit in omnibus formis existentibus in subiecto, quarum actus quandoque nobis manifestantur et quandoque non, cuiusmodi sunt formae materiales, perfectiones materiae et formae omnes quae sunt habitus et perfectiones potentiarum animae, ut sunt scientiae et virtutes.

In esse enim et fieri istarum formarum in materia et subiecto ab antiquo triplex solebat esse opinio.

Prima opinio erat ponentium *omnes* huiusmodi *formas* | advenire proprio subiecto perfectibili totaliter ab *extrinseco*, ut ab alicuius substantiae separatae influentia *quam* vocabant *datorem formarum* quantum ad habitus scientiarum | et virtutum. Et isti erant bipertiti. Antiquiores, ut PLATONICI, ponebant animas prius separatas quam corporibus

QUAESTIO 4

unitas, et ibi ex impressione idearum habere habitus scientiarum et virtutum, et secum illos deferre in unione sua cum corpore, sed ex corporis umbratione impediri ab usu eorum | et eum tradere oblivioni quoad usum et actum sciendi in particulari, retinendo | tamen habitus omnes sciendi in particulari, sed usum et actum sciendi solum in universali, secundum quod dicit BOETHIUS | in suo metro in persona animae dicentis: «*Cum mentem cernerem altam, singula novi. Nunc membrorum condita nube summam retinui, singula perdidit*». Et tunc postmodum ponebant animam per usum et exercitium eius in corpore amovere illud impedimentum, sicut faciunt in recordativis positi volentes rememorari eorum quorum erant obliti. Et per hunc modum posuit PLATO in MENO quod scire vel addiscere nihil aliud erat quam reminisci, secundum quod recitat PHILOSOPHUS in principio POSTERIORUM, disputans in hoc contra PLATONEM, sicut etiam facit AUGUSTINUS XII^o De Trinitate cap.^o ultimo, ubi dicit sic: «*Plato ille philosophus | nobilis persuadere conatus est | vixisse animas hominum antequam corpora generarentur et hinc esse quod ea quae discuntur reminiscuntur potius cognita quam cognoscantur nova*».

Posteriores autem multo, ut AVICENNA et ARABES, non ponentes intellectum hominis non fuisse umquam nisi coniunctum corpori et in corpore existentem, | posuerunt ipsum ex participatione influentiae intelligentiae separatae sibi de proximo in ordine naturae coniunctae recipere habitus scientiarum et virtutum, et quod impedimento huic receptioni non erat nisi obnubilatio quaedam in anima a corpore, et quod tale impedimentum oportebat amoveri studio et exercitio nostro. Unde dicebant quod omnis actio nostra ad acquisitionem scientiarum et virtutum in nobis non est nisi praeparatio quaedam in susceptibili ad formae susceptionem et amotio contrarii impediens eius impressionem, ut omnino praeparato susceptibili et amoto impedimento actio intelligentiae sit influere in animas nostras habitus scientiales et morales.

Et tam isti quam praecedentes communiter sentiebant circa formas naturales quod agens naturale non agit nisi praeparando materiam ad formae susceptionem ad modum quo agricola parat agrum ad susceptionem seminis et procreationem fructus, et quod materia praeparata actio imprimendi scientiam et intellectum erat ideae secundum PLATONEM, intelligentiae secundum AVICENNAM, et similiter quoad impressionem virtutum in anima et formarum naturalium in materia, sicut si sigillum in cera mollificata suam imprimat figuram, quod facere non potuit priusquam fuisset mollificata.

Alii vero, ut ANAXAGORAS et ANAXIMANDROS et | sequaces

ARTICULUS I

eorum, *contrario* modo praedictis ponebant dicendo quod omnes huiusmodi formae rebus essent inditae a natura nec aliquo modo acciperent eas ab actu aliquo exteriori vel interiori, sed quod quandoque latitarent, eo quod actus | earum non possent exterius manifestari propter aliquam materiae et subiecti indispositionem, et | quod per agens exterius nihil fieret nisi amotio illius dispositionis impediens, et tunc illico formae intus latentes in suis actionibus se manifestarent ibi esse et prius fuisse quando latebant, *sicut per limationem aufertur rubigo ab auro, ut fulgeat et se esse aurum manifestet*, vel sicut *per* aliquod *admiculum* sciens in habitu *inducitur in recordationem vel considerationem* actualem eius quod *prius* novit. Et in hoc *dicunt* isti ad modum PLATONICORUM *quod addiscere nihil aliud est quam reminisci*.

Et ita omnes istae opiniones negabant scientiam a nobis haberi per acquisitionem, sed dicebant eam solum a natura esse inditam vel ab exteriori naturaliter impressam, sicut speculum unum formam quam habet naturaliter imprimit in | speculum sibi oppositum et praeparatum. |

Utraque dictarum *opinionum inconueniens* est multum, quia ponit omne agens inferius et exterius ad esse istarum formarum esse agens solummodo per accidens ut *«removens prohibens»*, quod secundum PHILOSOPHUM VIII^o P H Y S I C O R U M non est nisi agens *«per accidens»*. Maxime autem *derogat* utraque istarum opinionum *ordini universi*, in quo Deus disposuit inferiora regi a superioribus per media. Removet enim omnes causas proximas omnem actionem per se attribuendo causis primis.

Circa positionem autem PLATONIS, quia non usquequaque errabat, ut dictum est supra, sciendum quod positio sua plures habebat articulos. Primus erat quod | in luce idearum divinarum homo videbat sinceram veritatem, et quod non scientiam certam, sed opinionem solam, posset acquirere per sensus, in quo verissime locutus est, ut visum est supra. Secundo posuit quod lucem idearum semper sibi habuit anima praesentem, quod similiter optime dixit. Secundum enim quod dicit AUGUSTINUS II^o D E L I B E R O A R B I T R I O, *«illa veritas et sapientiae pulchritudo semper adest omnibus, proxima est omnibus sempiterna, in nullo | loco est, nusquam deest, foris admonet, intus docet, nullus de illa iudicat, nullus sine illa recte iudicat»*. Tertio dixit quod praesens animam notitia perfecta veritatis de necessitate illuminat, et quod hoc non facit modo in nobis. Hoc contingit quia illustrationem illam non potest anima recipere secundum statum praesentis vitae, quem habet in corpore. Propter quod posuit animas praecessisse corpora, et tunc illam | perfectam illustrationem suscepisse et in corpus eam secum detulisse, sed nube

QUAESTIO 4

corporis tectam oblivioni totam tradidisse, ita quod per depurationem quandam, ut dictum est supra, rememorata per species acceptas a sensibus ad lumen idearum se convertit, et quasi reminiscendo in pristinam notitiam venit. Et per hunc modum posuit discere esse reminisci.

In hoc tertio articulo erravit, et per hoc in alia inconvenientia cecidit. Lux enim divina nulla necessitate, sed sola voluntate unumquemque secundum gradum sanitatis suae illustrat, unum plus, alterum minus, quosdam perfecte, quosdam nihil. «In quibus est *lux in tenebris lucens, et tenebrae eam non comprehenderunt*». | Propter quod dicit in I^o Soliloquiorum: «*Novit ista pulchritudo quando se ostendat. Illa enim etiam medici | fungitur munere, meliusque intelligit qui sunt sani quam idem ipsi qui sanantur*». Quantum enim est in se, | omnes aequaliter illustrat. Quod videns PLATO, et cum hoc videns quod anima quantum est de se, nisi esset corpore obumbrata, perfecte nata est illustrari, bene vidit quod status iste quem modo habet in corpore, quodam modo est ei praeternaturalis. Et ideo posuit animam habere alium statum | praeter istum quem modo habet in corpore, | sibi magis naturalem, et somniavit statum innocentiae, ubi anima erat in corpore non subdito peccatis, quod non corrumpitur nec aggravat animam et ideo non impedit a perfecta illustratione lucis divinae, quam omnes in illo statu percepissent et perfectam veritatem scibilium facillime percepissent. Sed cum istum statum percipere non potuit, in alium sibi visum possibilem, quantum erat ex natura animae, incidit, et posuit animas ante corpora vixisse separatas et unione corporum obumbratas. Revera ex coniunctione corporis animae nostrae sunt obnubilatae, non obnubilatione occultante aliquam notitiam latentem in eis, ut posuit PLATO, sed impediendo receptionem | illustrationis divinae et notitiae veritatis sincerae, quam ab initio impedit omnino et per purgationem oculi mentis incipit quodam modo illucescere. Et ideo HUGO Sententiarum suarum parte X^a, libro I^o, cap.^o 2^o, loquens ibi de anima pro utroque statu in corpore distinguit triplicem oculum eius, dicens: «*Postquam tenebrae peccati in illam intraverunt, oculus quidem contemplationis exstinctus est, ut nihil videat oculus vero rationis lippus effectus est, ut dubie videat; solus carnis oculus in sua claritate permansit*». Et loquitur de toto humano | genere quasi de uno homine. Revera oculus contemplationis, quo pura intelligentia videre debet sinceram veritatem in luce aeterna, sicut | vidit in statu innocentiae, modo caecus est, quia, nisi purgetur aliquantulum, in illa nihil videre omnino potest. Oculus autem rationis, quo mens cuncta rationis deductione per sensus in statu innocentiae intellecta percepisset, nunc lippus factus est, ut ex sensibus nullam certam notitiam accipiat, ut

ARTICULUS I

dictum est supra. Et dicit AUGUSTINUS I^o Soliloquiorum: «*Dum in hoc corpore est anima, etiamsi plenissime videat, hoc est intelligat, tamen quia corporis sensus utuntur opere proprio, si nihil quidem valeant ad fallendum, tamen nonnihil valent ad ambigendum*».

Non ergo vera erat sententia dictorum virorum quod scientia inest homini a natura, sive ab extra proveniendo sive interius latendo. Et concordant omnes huiusmodi sententiae quod scientia homini non acquiritur nisi per accidens, et quod secundum primam et tertiam sententiam aut nihil contingat addiscere hominem, neque per se neque ab alio, aut quod scire sit reminisci, cuius contrarium in sequentibus quaestionibus declarabitur et demonstrabitur. |

Ideo est opinio *media Aristotelis* et PERIPATETICORUM, quae ponit omnes *formas* huiusmodi esse suum *in materia* et subiecto habere, partim ab intra a natura, partim ab extrinseca actione. Partim ab intra ponebat ARISTOTELES omnes huiusmodi *formas praeesistere* in subiecto, scilicet *in potentia*, et partim ab extra, scilicet *per agens* | subiectum transmutans, ut forma quae in ipso erat prius in potentia fiat in actu, non quod | id quod prius fuit in actu et latebat appareat quod sit in actu, ut dixit ultimum opinio; et quod non sola impressione agentis in eo fiat, acsi cera figuraretur ad praesentiam sigilli, sed quod fiat in eo immissione virtutis producentis ab intra in actu quod prius | fuit in eo in potentia, acsi cera figuraretur ad praesentiam activi alicuius quod cerae virtutem suam | immittit, qua in figurationem transit ab intra, sicut etiam figurantur membra animalium in generatione eorum naturali, non autem ut per agens extra in disposita materia imprimatur forma, acsi cerae molli apponatur sigillum, per quem modum praedicti ponebant formas ab extra.

Ponebat igitur ARISTOTELES quod forma quaelibet *de potentia in actum deducitur per agens extrinsecum proximum*, non solum | per agens extrinsecum primum, et quod huiusmodi potentia sit quaedam habilitas in subiecto et naturalis inclinatio, imperfecta tamen, ad perfectionem | illam quam nata est habere res potentia illa deducta in actum per agens, secundum quod in rebus naturalibus generans calidum non ponit calidum in materia, ut dicit prima opinio, neque detegit occultum, ut dicit secunda opinio, sed vere generat faciendo, ut illud quod prius erat in potentia calidum idem, non aliud, fiat postmodum in actu calidum, secundum quod dicit PHILOSOPHUS VIII^o *Metaphysicae*: «*Illud quod est in potentia in actu fit ab agente in omnibus in quibus est generatio. Non enim est aliud causatum, sed erit illud quod est in potentia in actu*». Ubi dicit COMMENTATOR: «*Et causa unitatis est quia transmutatur illud quod est in potentia donec in actu fiat sub agente, scilicet sub extrahente ipsum ex potentia in*

QUAESTIO 4

actum. Est igitur hic aliquod unum quod prius est in potentia et post transfertur de potentia in actum, et translatio non largitur ei multitudinem, sed perfectionem in esse».

Similiter omnino contingit in generatione habitus moralis et scientialis. Agens enim extra nec ipsum in subiecto ponit, ut dicit prima opinio, nec ipsum detegit, ut dicit secunda opinio; sed ipsum quod est in potentia tale, puta temperatum vel sciens, facit esse actu | tale, secundum quod virtutes intellectuales ad generationem suam et augmentum studio indigent et experientia, morales vero exercitio, ut determinat PHILOSOPHUS II^o Ethicorum, ubi ex determinatione idem concludit dicens: «*Neque igitur natura neque praeter naturam insunt virtutes, sed innatis quidem nobis suscipere eas, perfectis autem per assuetudinem,*» et hoc in moralibus, et per studium | in intellectualibus. Ubi dicit COMMENTATOR: «*hic nunc naturam esse dicit cuius perfectio ex natura advenit.*» «*Non sic autem insunt nobis virtutes natura nec tamen praeter naturam,*» quia aptis natis nobis eas suscipere adveniunt | nobis nostra actione qua indigent ad perfectionem. Quomodo autem hoc fiat, videbitur in quaestione proxima sequenti.

Et est hic advertendum ad cognoscendum | perfectum modum generationis perfectae scientiae in nobis et cognitionem sinceræ veritatis, quod non sufficit conceptus mentis informatus a specie et exemplari accepto a re, sed requiritur species et exemplar aeternum, quod erat causa rei; et quod etiam non agit ad generandum scientiam et notitiam veritatis in nobis secundum communem cursum acquirendi scientiam et notitiam veritatis in nobis exemplar aeternum nisi mediante exemplari temporali, sicut dictum est in quaestione praecedenti. Ex quo patet, ut dictum est, quod modus ARISTOTELIS, si non sensit id quod dixit PLATO, erat diminutus, | quia nimium attribuebat, immo totum causis particularibus non attribuendo causae universali nisi mediatam actionem et universalem impressionem quam determinant agentia particularia. Patet etiam quod modus PLATONIS, | si non sensit quod ARISTOTELES, similiter erat diminutus, quia nimis parum attribuebat causis particularibus nihil eis attribuendo in principali actione generationis verbi scientialis et informationis veritatis, sed solum eis attribuendo actionem in disponendo per modum amotionis eius quod prohibet, non per modum agentis quod promovet, et quod totum id agit universale agens. Et sicut haec et talia isti duo viri dixerunt in generatione habitus scientialis et veritatis, sic et in generatione habituum omnium virtutum et formarum naturalium.

Dictum ergo utriusque et ARISTOTELIS et PLATONIS coniungendum est in omnibus istis generationibus istarum formarum, et

ARTICULUS I

sic erit ex utrisque *«liquata una verissimae philosophiae disciplina»*, ut dicit AUGUSTINUS in fine De Academicis, ut dicamus quod omnes formae scientiales et morales ab intra sunt quantum ad potentiam susceptibilis, et etiam ab extra non solum quantum ad impressionem agentis particularis secundum modum ARISTOTELIS, sed etiam quantum ad impressionem agentis universalis secundum modum PLATONIS, ita quod | sicut perfectum verbum veritatis imprimere non possit res extra in animam per suam speciem sine impressione ab exemplari veritatis aeternae, ut dictum est supra, sic nec perfectum habitum cuiuscumque virtutis nec perfectam formam naturalem alicuius speciei possit agere ex materia illud quod ei imprimit agens particulare creatum quodcumque, nisi per se ipsum immediate | imprimat agens universale et exemplar aeternum, ut ipsum sic agat, et tamquam agens universale imprimendo in omni quod sit, mediantibus agentibus particularibus quibus nihil effici potest nisi quod imperfectum est in natura rei, et etiam tamquam agens particulare immediate imprimendo in natura rei productae | quod perfectum est et complementum eius, ut idea asini quae Deus est sit causa generationis asini, non solum ad quam natura particularis in agendo aspicit, ut ARISTOTELES imposuit PLATONI, sed causa quae agendo imprimit. Et similiter est causa generationis notitiae veritatis et scientiae de asino ut sic in omnibus quae fiunt a nobis et a natura Deus et mediantibus agentibus aliis operetur quod imperfectum est, et immediate | quod perfectum est, ut per hunc modum *«sine Deo nulla natura subsistat, | nulla doctrina instruat, nullus usus expediat»*, ut dicit AUGUSTINUS IV^o De civitate Dei. Et sic *«res quas primo condidit administrare non cessat»*, ut secundum hoc | verificetur quod dixit Filius in Evangelio: *«Pater meus usque modo operatur et Ego operor»*.

Positiones omnium aliorum circa hanc materiam falsae erant omnino. Non enim aliquod agens potest imprimere perfectam scientiam rei, nisi habeat in se perfectam veritatem eius et per illam agat. Unde quia lapis non agit verbum veritatis suae in intellectu per se ipsum, sed per speciem, quae non est veritas sua, quam agit in intellectu, ideo non potest formare verbum perfectae veritatis de se in mente, ut dictum est supra. Similiter quia asinus non agit per suam formam immediate, sed per suam virtutem immissam in materia, ideo non potest formare perfectam veritatem formae suae in materia. Nihil enim agit perfectam veritatem sibi similem in alio, nisi quod agit immediate per id quod est ipsa sua veritas, sicut sigillum per ipsam suam formam immediate imprimit ceram, et vera figura, qua ipsum informatur, informat eam. Unde cum intelligentiae creatae non habent in se rerum veritates, sed solum eas habet in se prima intelligentia, quae Deus est, sed illae solum

QUAESTIO 4

habent in se rerum similitudines, ideo nulla illarum veritate perfecta potest informare immediate, neque mentem neque materiam, aliqua forma perfecta. In hoc ergo errabat AVICENNA et sui similes.

Errabant autem et ponentes formas latere in actu. Tunc enim contraria essent simul in eodem actu in materia, quod est impossibile, et tunc non contingeret aliquid addiscere, sed in rei veritate scire esset reminisci apud | intellectum et essent habitus naturaliter in anima, quod non est verum, ut infra videbitur.

Hoc autem dico de habitibus acquirendis modo humano, praeservando ad praesens ab habitibus infusis. |

Breviter ergo dico | ad quaestionem quod scire in potentia nobis contingit a natura, in actu autem et perfectione a studio nostro et acquisitione. Et quomodo hoc, patet ex praedictis, et etiam patebit ex quaestionibus sequentibus.

Quod ergo perfecte non contingit nobis scire nisi acquisitione, hoc bene concludunt duo | ultima argumenta, sed quia priora argumenta | nituntur concludere quod perfectione contingit nobis scire a natura, respondendum est ad singula per ordinem. |

<AD ARGUMENTA>

Quod ergo dicitur primo, quod «potentia cognitiva est potentia naturalis, ergo naturaliter potest in suam operationem», dicendum quod potentia naturalis dupliciter dicitur secundum duos modos naturae quos ponit BOETHIUS De duabus naturis: uno modo proprie vis insita rebus «*principium movens per se, non per accidens*» — hoc modo potentia valet ad unum tantum, ut ignis calefacit, et sic potentia cognitiva non est potentia naturalis —; alio modo dicitur potentia naturalis communiter quaecumque qualitas principium agendi «*informans aliud, sicut quaecumque rei specifica differentia*» etiam dicitur natura, et universaliter quidquid est de rei substantia. | Hoc modo potentia cognitiva naturalis est, maxime autem respectu sui subiecti. Subiecti enim sui potentia naturalis est, quia naturaliter animae indita et non ab extrinseco acquisita. Respectu vero sui actus, maxime illius qui est scire ea quae post principia, non est proprie potentia naturalis, sed rationalis, quia scire conclusiones non contingit homini nisi via rationalis inquisitionis et investigationis, quae valet ad opposita, quia in ea potest errare et dirigere. Unde PHILOSOPHUS in II^o Physicorum dividit principium operativum quod est ratio contra principium operativum quod est natura, eo quod *rationalis potestas valet ad opposita*, natura vero ad

ARTICULUS I

unum tantum. |

Ad secundum, quod «*natura non deficit in necessariis*», dicendum quod natura non dicitur deficere in necessariis quando dat illa per quae omnia necessaria possunt acquiri, licet ipsa immediate non confert, sicut non deficit homini in necessariis non dando ei armaturam | naturalem et vestitum, sicut aliis animalibus dedit ista, cum dedit homini rationem et manus, per quae ista sibi potest acquirere quae non dedit brutis, et ideo eis illa dedit, ne eis in necessariis deficiat, quia sibi ea acquirere non possunt. Distinguendum tamen quod quaedam sunt necessaria ad esse, quaedam ad bene esse. In necessariis primo modo numquam natura deficit alicui speciei, | quin omnia sibi necessaria immediate confert ei. In necessariis autem secundo modo similiter non deficit ei, quia illi quae illa sibi acquirere non potest dat immediate ea per quae illa sibi acquirere potest. Unde natura dicitur illa dare, quia licet non dat illa immediate, dat tamen illa per quae acquirere potest ea. Et si aliquid pertinet ad perfectionem creaturae quod non potest natura ipsa de se dare immediate vel mediate, illud immediate operatur in ipsa auctor | naturae. |

Ad tertium, quod «*intellectiva virtus perfectior est sensitiva, quae naturaliter potest in suam operationem*», dicendum quod perfectio | virtutis consistit in duobus: et in operatione, quia habet operationem perfectiorem circa obiectum superius et perfectius in natura, et in modo operandi, quia citius actum perfectum suae operationis acquirit. Primo modo intellectiva potentia est simpliciter perfectior sensitiva, quia intelligere est actio perfectior quam sentire, quia circa obiectum perfectius. Unde intellectus operatione sua habet iudicare de operatione sensus, non e converso, sicut dicit AUGUSTINUS II^o | De libero arbitrio. De secundo modo perfectionis loquendo intelligendum quod potentia intellectiva et est ratio et est intellectus. In quantum est intellectus, operatur ut natura circa propria obiecta, intelligendo scilicet prima principia, tam in speculativis quam in activis, simplici intuitu statim cum ei offertur obiectum, sine omni discursu et investigatione, sicut visus sentit visibile sibi obiectum in lumine. Et est in hoc adhuc intellectiva potentia perfectior sensitiva, quia perfectius intelligit intellectus prima principia in sua veritate quam sensus visus colorum qualitates, | quia et apprehendit et de apprehenso iudicat, sensus autem non iudicat de apprehenso, sed apprehendit tantum. Nec tamen illam notitiam habet intellectus omnino naturaliter et ab intra, sed contingit ei ex obiecto quod accipit ab extra, et cum hoc ex exemplari aeterno, si perfectam debet habere veritatis notitiam, ut dictum est supra. Et quoad hoc etiam illa notitia quodam modo est naturalis et quodam modo est

QUAESTIO 4

acquisita; solum tamen in potentia inest naturaliter, in quantum non est in actu nisi per hoc quod est acquisita. Unde et notitia sensus non est pure naturalis, sed quodam modo acquisita per sensibilia. Esset autem cognitio intellectus pure naturalis, si nullo modo indigeret acquiri ab extra. Et de hoc modo sciendi a natura sine omni acquisitione necessaria ad sciendum proposita est quaestio, an scire contingit homini a natura, an ab acquisitione aliqua | et alicuius super id quod habet homo a natura, quo dispositus est ad sciendum. In quantum | vero intellectiva potentia operatur ut est ratio, ipsa non operatur nisi inquirendo et investigando illa quae sunt post principia ductu rationis. Et haec est sua operatio prima, quam statim facit cognitis principiis per intellectum. Sed ad operationem secundam, quae est scire ex investigatione, non | statim pervenit, et quoad hoc imperfectior est operatio intellectivae quam sensitivae, et ipsa potentia intellectiva quam sensitiva; quae tamen simpliciter est perfectior, quia perfectior est eius operatio in re ex obiecto perfectiori, licet non in modo operandi. Est enim illa perfectio quae consistit in modo operandi secundum quid respectu illius quae est respectu obiecti, et contingit animae rationali illa imperfectio ex natura et ordine rerum. Sic enim | est gradus et ordo in rebus secundum PHILOSOPHUM II^o | C a e l i e t m u n d i, ut illud quod est perfectum omni modo perfectionis per se perfectionem habet, et non consequitur eam | per aliquam operationem. Cetera autem ab ipso perfectionem suam consequuntur sua operatione qua in illum feruntur. Sed res ei propinqua in natura, ut angelicae substantiae, recipiunt eam una operatione simplici. Et ideo sine omni discursu statim concipiunt in principiis omnia principiata. Homo autem remotior a primo perfecto in ordine rerum intellectualium, quia natus est consequi bonum perfectum operatione perfecta intelligendi, quod | et angelus superior eo in natura, necessario illud ad quod angelus potest pervenire una operatione simplici, homo eget, ut perveniat ad illud, opere multiplici. Res vero posteriores, quia non consequuntur bonum perfectum neque habent operationem perfectam, operatione simplici bonum suum consequuntur, ut sensitiva. Patet ergo quod actio sensus in operatione sua, quod est naturaliter et sine discursu, magis est propter imperfectionem quam perfectionem et discursus intellectus rationalis in sua operatione magis arguit perfectionem quam imperfectionem. Verbi gratia in sanitate: corpus enim illud perfectius est in sanitate quod sanitatem perfectam acquirit, licet operationibus multis, quam illud quod non potest acquirere nisi sanitatem imperfectam, licet operatione unica. Illud tamen est perfectius quod sanitatem perfectam acquirit una operatione quam quod pluribus, et illud perfectissimum quod eam habet

ARTICULUS I

naturaliter nec eget ulla operatione qua eam sibi acquirat, ut dicit PHILOSOPHUS II^o | Caeli et mundi. |

Ad quartum respondeo. «Quod intellectiva potentia est superior in natura sensitiva, ergo paucioribus indiget in sua operatione»: dicendum secundum iam dicta quod quando superius et inferius in natura suis operationibus eandem perfectionem consequuntur, tunc superius paucioribus indiget, sicut angelus paucioribus indiget ad actum sciendi quam homo, et orbis superior unico motu consequitur bonum perfectum quod consequuntur orbis | inferiores pluribus. Quando autem superius consequitur bonum perfectius quam inferius, sicut contingit in proposito, tunc non est inconueniens quod superius indiget pluribus in sua operatione quam inferius, ut dictum est exemplo sanitatis, sicut etiam patet de elementis, quae non habent nisi singulos motus, cum orbis superiores habeant plures, quia perfectius bonum sibi acquirunt illis pluribus quam elementa sibi acquirant singulis, secundum PHILOSOPHUM II^o Caeli et mundi. |

Ad quintum, quod «puer respondet ad interrogata», dicendum quod non sic respondet propter aliquam scientiam quam prius anima eius habuit et quae in ipso secundum habitum | latet, ut per interrogata commoveatur ut | exeat in actum, sicut opinatus est PLATO, sed quia ex notitia primorum principiorum incomplexorum quam prius sibi acquisiuit per sensus cognoscendo terminos, statim — hoc est modico discursu — patent ei quaecumque proponuntur sub interrogatione per immediata; et hoc maxime quando homo est ingenio perspicax et assistit diuina illustratio ad perceptionem veritatis sinceræ, cui AUGUSTINUS attribuit quod sic puer respondet, I^o libro R e t r a c t a t i o n u m . Sicut enim patent intellectui statim, scilicet sine omni discursu, prima principia ex prima notitia terminorum, ita patere possunt ex proximis principiis proximæ conclusiones, ita quod quaestionibus singulis propositis ordinatim et gradatim et per immediata semper sine omni discursu ex praecedentibus | patet intellectui veritas sequentium. Unde AUGUSTINUS XII^o D e T r i n i t a t e : «*Credendum est mentis intellectualis ita conditam esse naturam*», ut dictum est supra. Unde quia scientiæ geometricæ traduntur per immediata, ad interrogata geometrae puer bene respondit. Si tamen interrogatus fuisset per mediata, non | sic respondisset, quia veritas mediatorum non patet statim | in primis nisi media explicentur. Si etiam interrogatus fuisset de rebus aliis, non sic per immediationem ad prima principia connexis, nequaquam diserte respondisset. | Unde AUGUSTINUS ibidem XII^o D e T r i n i t a t e , arguens contra PLATONEM, loquens de dicto puero dicit: «*Non ipse sine magistro alba et nigra discerneret, quia ista iam noverat antequam in hac vita*

QUAESTIO 4

crearetur. Denique cur de solis rebus intelligilibus id fieri potest ut bene interrogatus quisque respondeat quod ad quamque pertinet disciplinam etiamsi eius ignarus est? Cur hoc facere de rebus sensibilibus nemo potest nisi quis ista vidit in corpore constitutus aut eis qui noverant indicantibus credidit sive litteris cuiusque sive verbis?» In hac opinione cum PLATONE fuerat AUGUSTINUS quandoque, ut in fine II^o SOLILOQUIORUM, et recitat in I^o RETRACTATIONUM, ubi illud retractat dicens: «In quodam loco dixi quod disciplinis liberalibus eruditi sine dubio illas in se oblivione obrutas eruunt discendo et quodam modo refodiunt, sed illud quoque improbo». |

Ad sextum, quod homo est natura perfectior brutis, ergo potius quam illa debet habere scientiam sibi naturalem, dicendum quod revera natura in homine perfectior est quam in brutis et maxime ratione intellectus quo ea excellit, et est de perfectione eius quod nullam habet scientiam naturalem, et de brutorum imperfectione quod habent naturales industrias. Quia enim natura determinata est ad unum et industria brutorum est naturalis, ideo solum uno et eodem modo habet operari in omnibus in quibus est, ut omnis hirundo eodem modo facit nidum et aranea telam et apis favum. Quia autem ratio potest *ad* diversa et *opposita*, ideo diversimode | potest homo per rationem operari idem, ut domum vel vestem et huiusmodi, et homo, quia rationem habet, diversimode potest sibi de necessariis providere | et omnia sibi necessaria operari, non autem bestiae, quia rationem non habent, sed solum uno modo secundum quod habent | a natura operari ad unum determinatum solum.

Egent autem ipsae bestiae notitia aliquorum necessariorum ad regimen | suae vitae, sine quorum notitia non posset sibi naturaliter provideri, et ideo natura industrias dedit eis naturales illa cognoscendi et operandi circa eadem, ut hirundini ex qua materia et quomodo debeat nidificare, et formicae qualia grana et quomodo debeat ea sibi thesaurizare, et ceteris huiusmodi consimilia. Homo autem, quia per rationem diversimode sibi potest necessaria providere, ideo naturalem notitiam, natura sibi nullam impressit, ut per rationem diversimode | operari poterit quod per naturalem industriam solum uno modo operaretur, quod est multo nobilius. Si enim homo naturali industria solum haberet artem aedificandi, solum uno modo omnis homo domum aedificaret, sicut uno modo omnis hirundo nidificat. Nunc autem quia ratione sibi artem acquirit ad domificandum, ex illa acquisita per rationem pluribus modis potest domus diversas sibi aedificare, quod multo nobilius est et perfectius. Et ideo dicit PHILOSOPHUS III^o De anima quod «*anima est sicut manus. Manus enim est organum organorum et intellectus est species specierum*», quia, ut dicit ibi COMMENTATOR, «*anima*

ARTICULUS I

recipit multas formas, ut manus omnia instrumenta». Unde sicut nullum instrumentum artis homo habet naturale, quia habet manus, quibus potest facere omnia instrumenta et uti eis, ita | nullam artem habet naturalem, quia habet rationem, qua omnis sibi potest acquirere, et per hunc etiam modum dicit PHILOSOPHUS quod anima debet esse *immixta* et *nulli habere* aliquid *commune* neque proprium quatenus omnia | intelligat. |

Ad septimum, quod «homo | scit solo ductu naturalis rationis, ergo scit naturaliter», dicendum, secundum quod dictum est, quod ratio in homine et est ratio et est natura. Si ergo sciret ductu rationis naturalis, ut est natura, | tunc revera naturaliter sciret, sicut naturaliter scit principia prima intelligendo ea simplici conceptu, non ratiocinando, quae tamen non scit naturaliter nisi in potentia, ut dictum est et amplius infra dicitur. Sed ut actualiter ea sciat et intelligat, requiritur aliquid acquisitum quo ea intelligat, ut saltem species intelligibilium. Nunc ergo quia homo scit ductu naturalis rationis, ut est ratio, discurrendo et ratiocinando, hoc non est scire naturaliter, sed rationaliter, non per scientiam innatam, sed per acquisitam. |

Ad octavum, quod homo naturaliter discit | via syllogistica, ergo pervenit ad scientiam per eam, dicendum secundum PHILOSOPHUM II^o *Ethicorum* quod sicut *contingit quid grammaticum* grammatice *facere* et non grammatice, similiter et syllogisticum quid contingit facere syllogistice et non syllogistice. Syllogistice facit homo aliquid quando attendendo ordinem mediū ad extrema operatur procedendo ad intentum. Quod solum potest facere habens artem acquisitam vel per alterius instructionem vel per propriae industriae investigationem. Non syllogistice facit homo aliquid quando non attendendo ordinem mediū ad extrema operatur procedendo ad intentum via qua procederet attendens ad ordinem mediū. Quod potest facere | homo naturali industria ex primis principiis scientiarum naturaliter cognitis cognoscendo terminos, qui etiam sunt prima principia syllogismorum secundum PHILOSOPHUM IV^o *Metaphysicae*, et hoc possunt homines plus vel minus secundum quod | perspicacioris vel obtusioris sunt ingenii. Hinc dicitur de Yppocrate propter excellentiam sui ingenii quod naturaliter scivit logicam. Secundum hunc modum per viam syllogismi processit ars illius pueri, non tamen syllogistice. Ipse enim ex sensu cognoscens terminos in primis eligibilibus naturali industria percepit, quia omne pulchrius et delectabilius in quantum huiusmodi magis esset eligendum, quod est maior in syllogismo. Minorem indicavit ei sensus de duobus pomis quod esset pulchrius. Ex quibus cognitis sine artis pertractatione quasi concludendo syllogismo practico pulchrius

QUAESTIO 4

acceptit. In tali enim syllogismo maiorem universalem determinat ratio, minorem vero particularem sensus et phantasia, conclusionem vero facit voluntas. Quandocumque enim ambae opiniones conveniunt in re aliqua, universalis ex parte rationis et particularis ex parte sensus, oportet ut actio concludens statim sequatur, ut si fuerit apud *animam* opinio rationis *universalis* quia expedit *omne dulce gustare*, et *sensus* dicat quod *hoc est dulce*, statim gustabit illud dummodo non sit aliquod impediens, secundum quod dicit PHILOSOPHUS VII^o *Ethicorum*. «*Haec quidem universalis opinio, altera autem de singularibus est, quorum sensus proprius. Cum autem una sit ex ipsis, necessarium conclusum*», etc., ut ibi dicit.

Et secundum hunc modum omnes homines ratione utentes, non solum liberam voluntatis electionem sequentes syllogismo, licet non syllogistice, procedunt in omnibus actionibus suis, | sicut probatur per dictum exemplum de puero in *Perspectiva*, nec solum homo industria naturali ex primis principiis syllogismi | sine arte sic potest facere quae sunt artis; quin per haec possit quodam modo et brutum, secundum quod recitat AMBROSIUS, dicens in *Hexaemeron*: «*Exsortem rationis canem nemo esse dubitat; tamen si sensus eius vigorem | consideres, censes eum sentiendi sagacitate vim rationis asciscere. Deinde quod pauci qui in addiscendo vitae longitudinem contriverunt, vix potuerunt cognoscere ut syllogismorum connexiones contexerent, | hoc naturali canis eruditione comprehendere facile poterit aestimari. Nam ubi vestigium | leporis cervice repererit, atque ad diverticulum semitae venerit et quoddam viarum compitum quod partes in plurimas scinditur, obiciens singula semitarum exordia tacitus secum ipse pertractat velut syllogistica voce sagacitatem colligendi odoris emittit. «Aut in hanc partem», inquit «deflexerit aut in illam, aut certe in hunc se anfractum contulit. Sed nec istam nec illam ingressus est | viam. Superest | igitur ut in istam partem <se> sine dubitatione contulerit»*» et statim in illum anfractum leporem persequitur. Et quod canis iste in hoc observat artis syllogisticae regulam statim, AMBROSIUS exponit, dicens: «*Nonne totas dies conterant philosophi propositiones sibi dividentes, et ex tribus, cum unam earum veram esse necesse sit, duas earum in principio interficiunt tamquam mendacio convenientes, et sic in eam quae relicta est vim veritatis esse definiunt?*» Canis ergo facit quod artis syllogisticae est omnino sine arte et sine principiis artis ab ipso perceptis, | puer autem praedictus similiter sine arte, ex primis tamen principiis artis ab ipso perceptis. Et sic universaliter quaecumque agentia per cognitionem et secundum cognitionem quamcumque, tam sensitivam quam intellectivam, secundum regulas artis syllogisticae faciunt quaecumque faciunt, vel artificiose | ut noscentes artem illam, vel non artificiose ut non noscentes artem illam. Qui etsi in faciendo regulam artis non habent in se, ut pueri, nec etiam

ARTICULUS I

aliquid artis percipiunt, ut bruta, tamen non nisi per artem regulantur existentem in luce aeterna, quae omnium agentium per cognitionem actiones dirigit, vel ipsis agentibus impressionem artis percipientibus, vel non percipientibus, secundum quod dicit AUGUSTINUS De vera religione, ubi cum ostendit sic esse in rationem habentibus, ostendit et sic esse et in aliis, dicens: «*Hoc et in ceteris animantibus, quae ratione carentia sensu tamen non carent, animadverti potest. Nullum enim horum est quod non in sono vel in cetero motu atque operatione membrorum numerosum aliquid et in suo genere moderatum gerat, non aliqua scientia, sed tamen in intimis naturae terminis ab illa incommutabili numerorum lege moderatis*». |

QUAESTIO 5

UTRUM CONTINGAT HOMINEM ACQUIRERE SCIENTIAM PER SE IPSUM

Circa quintum arguitur quod non contingit hominem scire per se ipsum acquirendo scientiam sine doctore.

Primo sic. In eo quod potest homo per se acquirere frustra quaerit auxilium alterius. Nunc autem homo, ut sciat, non frustra | quaerit alterius auxilium, ut patet. | Ergo etc.

Secundo sic. Secundum PHILOSOPHUM IX^o Metaphysicae nihil procedit de potentia ad actum nisi per aliquid praeexistens in actu tale quale est illud | in potentia. Quare cum homo, ut dictum est in quaestione proxima, ex se solum est in potentia sciens, non potest fieri in actu sciens nisi per aliud sciens in actu. Hoc autem est doctor aliquis. Ergo etc.

Tertio sic. Secundum PHILOSOPHUM in Elenchis «*oportet eum credere qui discit*». Secundum autem AUGUSTINUM De moribus ecclesiae «*quod credimus debetur auctoritati*». Nullus ergo addiscit nisi credens auctoritati. Hoc autem est acquirere scientiam non nisi ab aliquo docente. Ergo etc.

Oppositum arguitur primo sic. PHILOSOPHUS dicit I^o Metaphysicae: «*Ars fit, cum ex multis | experimento intellectis una fit universalis de similibus acceptio*». Et ibidem: «*Experientia artem | fecit*». Sed experientiam de rebus scibilibus potest homo capere per se sine omni doctore, et similiter naturali ratione potest colligere universalem de similibus acceptionem, quia secundum COMMENTATOREM super prologum De | anima: «*Intellectus facit universalitatem in rebus*». Ergo etc. |

QUAESTIO 5

<SOLUTIO>

Ad intellectum huius quaestionis notandum est in principio quod *omnis cognitio est per assimilationem cognoscentis ad cognitum*. Unde dicebant quidam philosophantium, ut recitat PHILOSOPHUS in I^o De anima, quod intellectus compositus est ex omnibus quatenus omnia cognosceret. Sed hoc est impossibile, secundum quod contra eos ibidem determinat PHILOSOPHUS, ut per rerum substantiam eis assimiletur. Non enim oportet ut sit naturae ignis ad hoc ut cognoscat ignem, nec naturae aquae ad hoc ut cognoscat aquam, et sic de ceteris, sed solum oportet ut assimiletur eis informatus per earum species. Unde secundum quod determinat II^o et III^o De anima, «oportet intellectum esse potentiam passivam speciei susceptivam et se habere ad intelligibilia sicut sensum ad sensibilia et ideo ab omnibus esse immixtum et nulli habere quidquam commune», ut omnia intelligat, ut de se sit intellectus omnes formae quae recipiuntur in eo, non actu, sed potentia. Et sic intellectus de se «quodam modo est omnia intelligibilia», «sed actu nihil eorum est antequam intelligat», sed est «sicut tabula apta scripturae nihil habens actu scriptum in ea». Est ergo de se in potentia essentiali receptiva, quae per se non exit in actum, sed per illud quod recipit de specie intelligibilium. Ipsae etiam species intellectus | quibus in rebus sensibilibus informari debet extra intellectum non sunt intelligibiles in actu, sed in potentia solum,| et ideo nec de se possunt fieri in actu ut moveant intellectum passivum. Oportet ergo ponere virtutem aliquam existentem in actu quae intelligibilia in potentia facit intelligibilia in actu, ut possint actu movere intellectum passivum. Haec autem est vis quam appellamus intellectum agentem, qui ponitur altera potentia animae cum possibili, ut possibilis intellectus se habeat ad intelligibilia sicut perspicuum in medio et organo ad colores, et agens ad omnia ista sicut lux, ut sicut «lux facit colores esse in actu ut moveant medium et oculum, sic intellectus agens facit intelligibilia esse in actu» ut moveant intellectum possibilem et | fiat unum intellectus in actu compositum ex intellectu et intelligibili, sicut ex materia et forma. Intellectus autem possibilis sic informatus specie intelligibilium statim in lumine intellectus agentis sine omni notitia actuali vel habituali generali vel speciali praecedente, sed potentiali solum, de qua notitia potentiali dicit Glossa super illud Ad Hebraeos I^o «Cum sit splendor: «Deus inseminavit animae initia intellectus et sapientiae»,| naturaliter concipit | primas intentiones intelligibilium incomplexorum primo cognoscendo terminos et quidditates rerum. Et sic primo informatur mentis intelligentia primis rerum conceptibus, ut expressissimis similitudinibus

ARTICULUS I

veritatis rerum in actuali consideratione mentis descriptis, ut sunt intentiones entis et unius numeri et magnitudinis et ceterorum incomplexorum quae sunt prima naturaliter | intellecta et incomplexa. Et appellatur eorum intellectus *«indivisibilium intelligentia»*, qua mens primo naturaliter cognoscit terminos ex quorum collectione ad invicem per intellectum componentem et dividendem consimiliter concipit naturaliter sine omni discursu primas conceptiones intelligibilium complexorum, ut quod *«totum est maius sua partes»*, *«si ab aequalibus aequalia demas, quae relinquuntur aequalia sunt»*, *«de quolibet affirmatio vel negatio et non simul de eodem»*, et cetera huiusmodi, quae sunt prima principia scientiarum complexa naturaliter intellecta, prius | tamen intellectis terminis. |

De talibus enim dicit PHILOSOPHUS quia *«principia cognoscimus in quantum terminos cognoscimus»*. Et sunt ista quasi principia per se naturaliter intellecta cuiuslibet scientiae ex puris naturalibus acquirendae. Quod dico propter notitiam sinceræ veritatis, et etiam propter notitiam scibilium supernaturalium, ut sunt ea quae sunt fidei et revelationis, quae | ex puris naturalibus et ita per se acquirendo homo scire non potest, sed solum | per illustrationem divinam, et ita Deo interius docente, ut dictum est supra quaestione secunda et infra dicitur. In illis autem principiis primis naturalibus includitur in potentia notitia omnium particularium conclusionum quae sequuntur, quae per studium et diligentiam ductu rationis naturalis de potentia deducuntur in actum, ut intellectus ea in actu sciat et in particulari quae in principiis scivit in potentia et in universali. Et per hunc modum generatur in anima scientiae habitus perfectus reponendo in habitu memoriae quod prius lucebat in consideratione intelligentiae, ut intelligentia ad memoriam recurrens, cum opus fuerit, iterum consimili notitia actualis considerationis informetur, ita quod cognitio omnis intellectualis, tam principiorum quam conclusionum, sit acquisita et nulla innata; sed cognitio principiorum naturaliter acquiritur quia nec studio nec deliberatione, et quoad hoc dicitur ipsorum cognitio naturalis; cognitio vero conclusionum voluntario studio et mentis indagatione acquiritur, et ideo nullo modo dicitur naturalis. |

Hinc dicit COMMENTATOR super III^{um} De anima: *«Intellectus qui in nobis est duas habet actiones, quarum una est comprehendere intellecta, | alia est extrahere formas et denudare a materiis, quod nihil aliud est nisi facere eas intellectas in actu postquam erant in potentia»*. Intellecta autem duobus modis fiunt in | nobis: aut naturaliter — et sunt primae propositiones—, aut voluntate — et sunt intellecta acquisita ex primis propositionibus. |

QUAESTIO 5

Sed circa deductionem intellectus de potentia in actum sciendum quod sicut in naturalibus aliquando principium agens intra ita potens est ut sine omni adminiculo exterioris agentis potentiam potest in actum deducere, aliquando vero ita est debile quod sibi non sufficit ad illud sine adminiculo agentis exterioris — verbi gratia in aegrotante aliquando vis naturalis | intra curativa morbi tam potens est, ut sine omni adminiculo exteriori et adiutorio medici et medicinae de potentia sano faciat actu sanum aliquando vero est in tantum debilis, ut hoc non possit facere sine adiutorio medicinae exterioris —, similiter contingit in proposito quod aliquis homo aliquando invenitur ex sollertia naturali ita subtilis et industrius, ut solo adiutorio interiori luminis intellectus agentis possit ex primis principiis naturaliter intellectis elicere | ductu naturalis rationis conclusiones proximas, et ex illis alias posteriores, et sic deinceps gradatim et ordinatim procedendo usque ad conclusiones ultimas particulares rei cognoscendae. De tali homine dico quod per se et sine omni doctore exteriori potest dicto modo sibi perfectam scientiam acquirere. *«Tunc enim opinamur cognoscere unumquodque cum cognoscimus causas primas et principia prima usque ad elementa»*, sicut scribitur in principio *Phy sic or um*, ubi dicit COMMENTATOR quod *«doctrinae ordinatae est incipere | a cognitione primarum causarum rei cognoscendae perfecte usque ad causas propinquas»*. Quando vero homo ex naturali industria non est talis, dico quod per se scientiam alicuius rei perfectam acquirere non potest sine doctore; potest tamen aliquem gradum in ipsa acquirere maiorem vel minorem secundum qualitatem subtilitatis maioris aut minoris in ipso, maxime adhibitis studio et diligentia, quia studio acuendo ingenium aliquando recuperat id in quo natura deficit, secundum quod dicit BOETHIUS *De disciplina scholarium*: *«Studio diligenter immorandum | est. Diligentia enim cuiuslibet obtusitas permollitur»*. Et CHRYSOSTOMUS super illud Matthaei XXII^o: *«De resurrectione mortuorum non | legisti»*, dicit: *«Ex lectionum diligentia nascitur scientia. Ignorantia autem negligentiae est filia»*. Et sicut est in hoc dispositio diversa in diversis ex parte luminis naturalis menti inhaerentis, sic ex parte luminis divini menti assistentis, ut dictum est, | et ita propter diversam utriusque dispositionem in diversis diversimode se habent diversi ad scientiae cognitionem seu investigationem per se ipsos. Credo igitur quod per se homo sine omni doctore exteriori ex puris naturalibus potest scientiam sibi acquirere. Sic enim ab initio artes repertae sunt, ut dicit PHILOSOPHUS I^o *Metaphysicae*, sed tamen nullus per se ad perfectum aliquid deducere potuit, ut dicitur II^o *Metaphysicae*. |

ARTICULUS I

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in contrarium, quod «frustra quaereret homo alterius auxilium si per se posset scientiam acquirere», dicendum quod non est verum, quia facilius, citius, et perfectius homo scientiam per magistrum acquirit quam per se, ut patebit in sequenti quaestione.

Ad secundum, quod «homo est in potentia sciens et ideo non potest procedere in actu sine aliquo existente in actu», dicendum quod licet idem secundum idem non sit potens se ipsum ducere de potentia in actum, quando tamen in uno sunt duo quorum unum | est principium activum, alterum passivum, bene potest se ipsum per id quod est in ipso in actu deducere in actum id quod in ipso est in potentia. | Sicut contingit in animatis quod moventur ex se ipsis, quia sunt divisibilia in duo, quorum unum est per se movens, | ut anima, reliquum vero per se motum, ut corpus, sicut dicitur VIII^o P H Y S I C O R U M, sic contingit in proposito quoniam | anima humana habet in se agens *quo est omnia facere* quae pertinent ad actum intelligendi, et possibile *quo est omnia fieri*, ut dicitur in III^o D e a n i m a. Species enim universalis recepta in possibili per agens movet possibilem et informat, ut actu speculetur, tamquam ratio concipiendi verbum mentis in quo speculatur notitiam veritatis, ut dictum est supra quaestione secunda et tertia.

Ad tertium, quod «nullus addiscit nisi credens auctoritati», dicendum quod dictum illud exponit se ipsum. Bene enim verum est quod discere, proprie sumendo ‘discere’, non contingit sine doctore, quia discere dicitur relative ad docere. Sed iste non est omnis modus sciendi, quia praeter hunc est alius, scilicet sciendo per propriam inventionem, secundum quod dicit PHILOSOPHUS in E L E N C H I S: «*Quod quis novit, inveniando vel addiscendo novit*». Unde noscere inveniando non est addiscere nisi large sumpto pro ‘investigare’, ubi nulli oportet credere, sed solum ex notitia priorum procedere ad notitiam posteriorum, ut dictum est. |

QUAESTIO 6

UTRUM CONTINGAT HOMINEM ACQUIRERE SCIENTIAM ALIO HOMINE DOCENTE

Circa sextum arguitur quod non contingit hominem acquirere scientiam alio homine docente.

QUAESTIO 6

Primo sic. Per nullum potest alicui alteri acquiri scientia nisi qui facit eum actu scientem de potentia | sciente. Quod non potest facere homo circa hominem, quia non potest homo homini plus facere in docendo quam monstrare signa sensibilia particularia extra, quae in quantum huiusmodi non movent intellectum in quo debet acquiri scientia, sed solum sensum. Ergo etc.

Ex quo arguitur aliter secundo. Per illum non potest alteri acquiri scientia cuius actio non excedit sensum, cum scientia debet generari in intellectu. Actio hominis exterioris, cum solum proponit sensibilia particularia, non excedit sensum. Ergo etc.

Tertio sic. Homo non habet scientiam nisi per speciem intelligibilem quam habet de re, nec acquirit eam nisi per hoc quod speciem intelligibilem de re in se acquirit. Per illum ergo qui non potest intellectum informare specie intelligibili non potest homini acquiri scientia. Quilibet homo est huiusmodi, cum solum proponit sensibilia particularia, quae non sunt nisi in potentia intelligibilia nec excedunt sensum in quantum huiusmodi. Ergo etc.

Quarto sic. | Per illum non potest homini acquiri scientia qui non facit nisi proponendo ei signa | rerum quas penitus ignorat, aut quas | prius scivit, quia si penitus ignorat res quid sint quae significantur, et ignorat signa, quia sunt correlativa ad invicem signum et significatum, et relativorum eadem est intelligentia secundum PHILOSOPHUM | in *P r a e d i c a m e n t i s*. Qui enim omnino ignorat rem quae est lapis non cognoscendo id cuius hoc nomen 'lapis' debet esse signum, nec novit an hoc nomen 'lapis' omnino sit signum, et per tale non potest scientiam rei acquirere. Si autem | prius scivit rem, tunc non acquirit eius scientiam per tale signum, maxime cum homo homini nihil facit nisi talia signa proponendo exterius, ut dictum est. Ergo etc.

Quinto sic ex eodem medio. Homo non proponit homini nisi signa nota aut ignota. Nec per ignota potest acquiri scientia, sicut nec homini Latino per verba Graeca, si non novit Graecum, nec per nota, quia non sunt nota nisi prius sciendo res quarum sunt signa, ut dictum est. Ergo etc.

Sexto sic. AUGUSTINUS dicit *De utilitate credendi*: «*Neque signis quibuslibet aliquid cognoscere potest, nisi illud ipsum | cuius ea signa sunt novit*». Sed homo nihil docet nisi faciendo rem cuius est signum cognoscere signo. Ergo non docet nisi quod prius discens novit. Hoc autem non est docere, sed recordari. Ergo etc. |

Septimo sic. Si homini per hominem acquiritur scientia, ille tamquam actu sciens alterum ut potentia scientem sibi similem faceret et actu scientem. Sed non contingit aliquid facere sibi simile nisi per

ARTICULUS I

formam qua alteri assimilatur. Sciens autem scienti assimilatur per formam quae est scientia. Ergo homo per suam | scientiam generaret scientiam in alio. Hoc autem falsum est, quia scientia non est qualitas activa, sicut est calor. Ergo etc.

Oppositum arguitur primo sic. Per illum acquiritur alteri scientia qui facit ut alter sciat quod prius ignoravit. Quod facit homo homini per verba, sicut experientia videmus, et secundum quod dicit PLATO ad hoc sunt verba inventa. Ergo etc.

Secundo sic. APOSTOLUS dicit I^a <Ad> Timotheum II^o: «*Positus sum ego praedicator et doctor gentium in fide et veritate*». Sed non esset doctor nisi acquirendo alteri scientiam. Ergo etc. |

<SOLUTIO>

Hic reducendae sunt ad memoriam opiniones tactae supra in quarta quaestione. Ponentes enim quod humana anima de se habet omnem scientiam, vel naturaliter ei impressam vel ante corpus acquisitam, cum ponebant quod scire nihil aliud erat quam reminisci, ut dictum est ibi, dicerent quod homo omnino nullam scientiam de novo acquirit, et ita quod per nullum | doctorem acquireretur homini scientia, sed quidquid homo ageret extra, hoc esset ad excitandum memoriam, ut recordaretur eius quod prius erat oblitus, quia secundum eos addiscere non erat nisi reminisci.

Sed contra hoc sunt omnia ibi dicta ad illarum opinionum reprobationem, et maxime illud, quod intellectus possibilis humanae animae est in potentia pura ad scientiam.

AVICENNA similiter, qui posuit scientiam animae dari ab intelligentia, et quod nihil restabat nisi impedimentum recipiendi influxum intelligentiae amovere, similiter diceret quod homo non doceret nisi amovendo prohibens, quod non est docere nisi per accidens. Quod aliquorum notitiam, maxime illorum quae sunt | super vires animae naturales, ut est cognitio credibilium, et illorum quae pertinent ad revelationem, sic anima humana suscipiat, bene tenet fides catholica, ut infra dicitur. Etiam quod sic suscipiat notitiam veritatis sinceræ secundum aliquem modum, concessum est superius. Sed quod aliter nullam cognitionem acquirat, omnino est contra veritatem philosophicam, ut dictum est | supra in quaestione secunda. Est enim anima forma naturalis et ideo modo naturali perfectibilis, et hoc non nisi scientia in acquirendo eam a rebus sensibilibus inferioribus, reducendo id quod in ea est sciens in potentia ut fiat sciens in actu, sicut dicit

QUAESTIO 6

PHILOSOPHUS in IV^o P h y s i c o r u m . |

Ad cuius evidentiam considerandum quod sicut ea quae fiunt solum ab arte, si similiter possent fieri a natura, simili modo faceret ea natura sicut facit et ars, secundum quod dicit PHILOSOPHUS II^o P h y s i c o r u m : «*Si esset in ligno vis navis factiva, similiter ut natura fecisset navem*». Similiter necesse est esse e contra in eis quae possunt fieri ab arte et a natura, similiter ea fieri ab arte, sicut nata sunt fieri a natura, ut eodem modo et | ordine quo natura agit in curando morbum et generando sanitatem, | agit et ars, sive alterando sive digerendo, sive quibuscumque modis aliis. Cuius ratio est quia in omni actione in qua ars communicat naturae non operatur ars sicut agens principale, sed solum sicut adminiculans et coadiuvans naturam. Unde *medicus* dicitur *minister naturae*. Scientia autem uno modo ab homine acquiritur ut a principio intra, quod est natura, ut est naturalis ratio, ut dictum est supra de eo qui propria inventione sibi scientiam acquirit; et alio modo scientia acquiritur ab homine ut a principio extra, ut | a didascolo, et hoc contingit | in eo qui addiscendo sibi scientiam acquirit admonitus a didascolo. |

Dicendum | igitur quod sicut si per se investigans scientiam supposita notitia | principiorum non posset errare in discursu et deductione conclusionum ex principiis, ex primis principiis eliceret conclusiones proximas, et ex illis conclusionibus, quae iam sunt principia posteriorum, eliceret conclusiones ultteriores, et sic usque ad conclusiones ultimas et principia proxima rei sciendae, sic semper conceptiones suas gradatim et per immediata ordinando et procedendo a primis ad ultima, sicut est procedere scientiae ordinatae, consimiliter homo docens extra ex habitu scientiae, quo debet esse perfectus in actu, debet habere in promptu conceptus in se ordinatos a primis principiis usque ad ultimas conclusiones. Aliter enim non esset idoneus doctor. Eodem modo debet procedere in docendo discipulum: primo principia prima per se nota proponendo ei; deinde ea per immediata, quantum potest, applicando ad determinatas conclusiones et ab illis in ultteriores consimiliter usque ad ultima, explicando hunc discursum discipulo per signa verborum vel quaecumque alia, ut melius poterit, significantia illos conceptus quos ratio naturalis interius ordinaret, si in suo discursu errare non posset. Et sic illos conceptus sic per signa propositos format in se discipulus admonitus per signa. Quos quidem conceptus per se sic ordinare nesciret, quia ratio non habet a natura ut eos ordinet, sed in ordinando errare potest. Et quia ille ordo conceptuum interius sic formatorum est per se causa doctrinae et proxima, vocum autem ordinatio exterior non est nisi signum admonitivum et directivum

ARTICULUS I

rationis in conceptus suos ordinando, ideo doctor exterior non est causa acquirendi scientiam in discipulo nisi per accidens, ordinando scilicet signa exteriora; ratio vero interior est causa eius per se, ordinando scilicet conceptus interiores, in quibus percipitur veritas rei cognoscendae immediate, sicut si aliquis esset intentus ad aspiciendum astrum Iovis in caelo, et quia minutum est astrum illud, conferens oculum circumquaque | non posset aciem visus in ipso sistere et figere determinate, et alter assistat, qui astrum illud videat et digito suo dirigat aciem visus illius quousque ad directam oppositionem illius astri eum perduxerit, et tunc ibi sistat et digitum immotum teneat, | ut sic visus sistendo ad quietem digiti in astrum dictum aciem aspectus figere admoneatur et hoc facto statim astrum videat et advertat, iste digitus alium videre non facit per se, quia visui eius nihil imprimit, sed claritas astri facit sese videre. |

Et nota quod signa verborum non solum per accidens sunt causa acquirendi scientiam sicut iste digitus causa videndi astrum, immo multo magis per accidens. Digitus enim, licet per se non facit videre astrum, per se tamen ducit oculum ad directam oppositionem sub qua astrum videtur. Signa autem verborum non per se faciunt videre veritatem, nec per se ducunt intellectum ad ordinandum suos conceptus, sed per accidens, scilicet in quantum | sermo est sicut symbolum inter doctorem et discentem, non naturaliter, sed per institutionem, res ipsas praesentans de quibus formantur conceptus, et sic sunt causa doctrinae accidentaliter per accidens, et similiter ipse doctor.

Et ideo dicit PHILOSOPHUS in libro De sensu et sensato: *«Secundum accidens ad scientiam auditus multum confert. Sermo enim existens audibilis causa est disciplinae, non secundum se, sed secundum accidens. | Ex nominibus enim constat, nominum autem unumquodque symbolum est».* |

<AD ARGUMENTA>

Ad obiectum primum, quod doctor non facit nisi quod proponit | signa quae solum movent sensum, dicendum quod licet sub esse particulari quo proponuntur a doctore non excedunt sensum, ex sensu tamen mediante phantasia per lumen agentis ipsa signa particularia sensibilia facta universalia intelligibilia movent intellectum et admonent ipsum, ut formet conceptus ad modum quo signa eorum | exterius proponit doctor et sic ducit ad scientiam, ut dictum est. |

Per idem patet secundum et tertium. |

Ad quartum, quod signa quae proponit doctor non ostendunt rem

QUAESTIO 6

nisi omnino ignotam aut cognitam, dicendum quod necesse est, si quis discat res aliquas, quod noscat eas, sed alio modo quam quaerit nosse, quia scit sub quadam confusione et in generali, et ignorat notitia distincta et in speciali qua quaerit ipsam rem scire, ut infra dicitur. |

Per idem dicendum ad quintum et ad sextum, quod ille qui addiscit signa novit sciendo res in generali, nec ad aliud ordinantur nomina quam ad confusum intellectum rerum exprimendum. Notitia enim distincta et in particulari exprimenda est per definitionem quae nominis est expositiva. Secundum enim quod dicit PHILOSOPHUS in principio *Physicorum*: «*totum | quiddam et indefinitum significat nomen, ut circulus; definitio autem illius dividitur in | singularia*». Et sic in nomine primo nobis sunt manifesta confusa magis, quorum quaeritur ab addiscente cognitio determinata. |

Ad septimum quod «scientia non est qualitas activa», dicendum quod verum est, nec intendimus quod doctor per modum agentis naturalis per suam scientiam generet scientiam in discipulo sicut obicitur, sed quod ex sua doctrina proponat signa ordinata, ad quae ratio in discipulo consimiles debet formare suos conceptus et per hoc acquirere scientiam directus a doctore, admonitus, sed actione propria interiori; propter quod agens interior verius dicendus est doctor quam exterior. Unde et habet ille doctor interior de propositis ab exteriori iudicare. Propter quod dicit AUGUSTINUS in fine *De gratia Novi Testamenti*: «*Eo ipso quo forinsecus bene admonente iudicio non errare approbamus, quid aliud quam internum lumen magistrum nos habere testamur?*» Propter quod periti discipuli est examinare dicta magistri, quoniam, ut dicit BOETHIUS *De disciplina scholarium*, «*stultum est magistratus orationibus omnino confidere, sed primo est credendum | donec videatur quid sentiats*». |

QUAESTIO 7

UTRUM HOMO ACQUIRAT SCIENTIAM DEO IN QUOLIBET ACTU DISCENDI DOCENTE

Circa septimum arguitur quod scire non contingit homini Deo docente in quolibet actu discendi.

Primo sic. Deus in creatura non agit quod agere in se proprio motu suo potest, secundum quod dicit AUGUSTINUS VII^o *De civitate Dei*: «*Sic Deus res administrat ut eas proprios motus agere sinat*». Sed homo proprio motu, ductu et inquisitione naturalis rationis

ARTICULUS I

potest sibi scientiam acquirere, ut habitum est supra. Ergo etc.

Secundo sic. Hominem non docet nisi qui actione sua specie intelligibili mentem informat, quia per hoc solum scit et intelligit. Et hoc Deus non facit in quolibet actu intelligendi, immo in nullo facit secundum communem cursum huius vitae, quia sufficienter informatur a phantasmate, et non est natus | aliter informari. Ergo etc.

Oppositum | arguitur primo sic. In Psalm o dicitur de Deo: *«Qui docet hominem scientiam»*.

Secundo sic. Secundum AUGUSTINUM De magistro et De vera religione, *«cathedram habet in caelis qui corda hominum docet in terris»*. Ille non est nisi Deus. Ergo etc. |

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc quod hominem docere nihil aliud est quam ipsi ostendere notitiam veritatis, ut eam percipiat quam prius non vidit. | Nunc autem veritas in creatura non est nisi emanatio quaedam a veritate prima sicut imago ab exemplari, ut dicit Glossa | super illud *«Diminutae sunt veritates a filiis hominum»*: *«Una est veritas qua illustrantur animae sanctae, sed quoniam multae sunt animae, in ipsis veritates multae dici possunt»*. Sicut enim ab una facie resultant multae imagines in speculo, ita ab una prima veritate multae veritates. Et AUGUSTINUS dicit De vera religione: *«Si est falsitas, ex his est quae imitantur unum, non in quantum id imitantur, sed in quantum implere non possunt. Illa autem est veritas quae id implere potuit et esse id quod illud est. Unde et verbum rectissime dicitur. Cetera vero illius unius similia dici possunt in quantum sunt; in tantum enim et vera sunt. Hoc autem eius similitudo et ideo veritas. Quapropter vera in tantum vera sunt in quantum sunt. In tantum autem sunt in quantum principalis unius similia sunt»*. Sic autem est in omnibus factis ad exemplar quod in tantum est in eis veritas in quantum respondent suo exemplari, et quanto magis respondent ei, tanto magis dicenda est | veritas eis inesse.

Nec potest cognosci si veritas sit in exemplato, nisi cognita conformitate eius ad suum exemplar, secundum quod dicit AUGUSTINUS III^o De Academicis: *«Bene probat imaginem quisquis intuetur exemplum»*; et dictum est de hoc supra in quaestione secunda. Veritas igitur cuiusque rei intellectui ostendi non potest nisi ostendendo ei conformitatem ad suum exemplar primum, a quo est transformata. Quare cum illud exemplar primum et principalissimum non sit nisi veritas prima, solum ille docere et maxime potest qui intellectui potest ostendere conformitatem rei ad suum exemplar primum. Hoc autem

QUAESTIO 7

solus Deus potest. Et ideo absolute concedendum est quod solus Deus et maxime potest docere, secundum quod dicit AUGUSTINUS *Contra epistolam Fundamenti*: «*Per homines aliqua commemoratio signis verborum fieri potest. Docet autem unus verus magister, ipsa incorruptibilis veritas, solus magister interior*». Et hoc isto modo docendi qui scilicet sit ostendendo conformitatem rei creatae ad suum exemplar primum, a quo creatura et creata est et descripta, quia conformitas ad tale exemplar non potest videri nisi aspiciendo ad ipsum, et solus Deus potest homini hoc exemplar ostendere, ut ad ipsum aspiciat, ostendendo scilicet illud velut obiectum velut rationem cognoscendi solum, sicut dictum est in quaestione secunda praecedenti, secundum quod de hoc modo docendi loquitur AUGUSTINUS dicens *V^o Confessionum*: «*Me docueras, Deus meus, miris et occultis modis. Propterea credo quod tu docueris quoniam verum est, nec quisquam praeter te alius doctor est ubicumque et undecumque clarueris*»; et libro XI^o: «*Quis porro docet nos nisi stabilis veritas? Quia et per creaturam cum nos admonemur, ad veritatem stabilem ducimur, quae nisi maneret cum erramus, non esset quo rediremus. Ut autem cognoscamus, docet nos*». Secundum quod etiam dicit *Glossa* super illud *Matthaei XXIV^o* «*Unum magistrum habetis*»: «*A solo Deo est mentis informatio dando intellectum*».

Praeter hoc autem aeternum exemplar, quod est causa rei, est aliud exemplar rei abstractum et causatum a re, ad quod aspiciendo potest homo quoquo modo cognoscere veritatem rei per conformitatem ad illud, sed forte non sine illustratione exemplaris primi, ut dictum est supra in eadem quaestione secunda. Unde tale exemplar proponendo concessum est in quaestione praecedenti quod homo potest hominem docere, et solum tali modo, ut dictum est. Ad tale etiam exemplar aspiciendo potest homo per se scientiam investigare, non tamen sine adiutorio divini luminis menti assistentis, ut supra dictum est. Et ideo in tali modo discendi ad tale exemplar non est dicendum quod Deus doceat in quolibet actu discendi nisi sicut universale causans, dans discenti vires cognitivas per quas potest doceri et apprehendere veritates, vel sicut universale movens, sine quo nullum particulare movet, vel sicut lumen aliquod supernaturalis gratiae infusum illuminans ad cognoscendum, nisi dicamus, ut supra dictum est, quod etiam exemplar creatum non sufficit ad ostendendum aliquam veritatem nisi ad illustrationem exemplaris increati, ut supra expositum est in fine secundae quaestionis, ut sic oporteat dicere quod Deus immediate doceat in quolibet actu discendi quamcumque veritatem.

In primo enim modo Deus non docet aliter quam agit omnes actiones rerum naturalium in passibili, dando scilicet ei potentiam et

ARTICULUS I

virtutem recipiendi impressionem agentis in ipsum. Sic enim docet dando alicui vim et potentiam per quam potest addiscere et recipere disciplinam, sicut si dicatur calefacere dando calefactibili vim et potentiam per quam est receptivum caloris. Sed hoc est valde a remotis et improprie attribuere Deo aliquam actionem. De hoc tamen modo docendi dicit CHRYSOSTOMUS super illud Matthaei XXIII^o «*Vos autem nolite vocari Rabbis: «Nolite», inquit, «alios vocare Rabbi, ne divinum honorem hominibus deferatis. Unus enim est magister omnium qui omnes homines naturaliter docet. Si enim homo hominem erudiret, omnes homines discerent qui habent doctores. Nunc autem quia homo non docet, sed Deus, multi quidem docentur, pauci quidem | discunt. Homo enim non intellectum praestat homini docendo, sed a Deo praestitum per admonitionem exercet. Doctrina enim cotis habet officium. Sicut enim cos non facit ferrum, sed acuit, sic sine causa insensatus docetur»*. Unde in isto actu Deus potius dicendus esset Pater et auctor naturae quam magister et doctor scientiae.

In secundo vero modo Deus non aliter docet quam agit omnes actiones rerum naturalium coagendo agentibus particularibus, dando et conservando eis virtutem agendi in omnibus | suis actionibus. De quo modo agendi dicit AUGUSTINUS XI^o Super Genesim ad litteram: «*Natura agit interiori motu nobis occultissimo; cui tamen si Deus substrabat operationem intimam qua eam substituit et facit, continuo tamquam extincta nulla creatura remanebit*». Sed iste modus docendi adhuc non est proprius Deo quem quaerimus.

In tertio vero modo docendi docet Deus hominem ea quae sunt supernaturaliter cognoscenda, | ut ea quae sunt fidei vel revelationis, de quibus infra dicitur.

De eis igitur quae naturaliter sunt cognoscenda ab homine et ex puris naturalibus ad exemplar creatum acceptum a rebus, ut est omnis cognitio qua scitur id quod verum est in re, etiam qua cognoscitur ipsa veritas rei incomplete, et cum ad hoc sufficiat exemplar acceptum a re, non illustratione divini et aeterni exemplaris, simpliciter dicendum est quod Deus non docet in quolibet | actu discendi, ut patet ex supra determinatis. Quomodo autem doceat in discendo sinceram veritatem vel simpliciter quamcumque, sufficienter habitum est ex praedeterminatis. Quomodo autem doceat in eis quae sunt fidei et revelationis, determinabitur inferius. |

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod «homo potest proprio motu 125

QUAESTIO 7

acquirere scientiam», dicendum quod verum est de rebus naturalibus, sciendo id quod verum est in re vel natura, veritatem imperfectam, quam tamen Deus docet dando naturale iudicium quo scienda discernit; vel etiam cum hoc supernaturaliter illustrando mentem. Sinceram autem veritatem aut aliquam veritatem supernaturaliter cognoscendam aut forte veritatem quamcumque non potest scire sine ipso proprie docente, ut dictum est et infra dicitur. |

Ad secundum, quod «Deus non informat mentem specie», dicendum quod verum est nisi sicut agens universale, nec aliter docet per solam huiusmodi speciem conceptus mentis formando, nisi dicatur quod etiam per huiusmodi speciem non potest conceptus mentis formando sine divina illustratione. Si tamen debet formari conceptus ad sinceram veritatem | percipiendam, vel aliquid | supernaturale cognoscendum vel forte ad aliquam veritatem simpliciter percipiendam, ibi proprie dicitur docere, ut dictum est.

Argumenta in oppositum non procedunt nisi secundum praedictum modum. |

QUAESTIO 8

UTRUM CONTINGAT HOMINEM ACQUIRERE SCIENTIAM ANGELO DOCENTE

Circa octavum arguitur quod non contingit hominem acquirere scientiam | angelo docente.

Primo sic. Praeter id quod divinitus menti | impressum est supernaturaliter non acquiritur scientia ab homine nisi per lumen intellectuale et speciem intelligibilem, et per alia non docetur. Sed nullum horum operatur angelus in ipsa, ut patet. Ergo etc.

Secundo sic. Docens facit discentem ut fiat sciens in actu qualis ipse est. Sed angelus sciens est simplici intuitu sine discursu. Ergo si doceret hominem, | faceret ipsum scire sine discursu. Hoc autem non contingit. Ergo etc.

Ad oppositum arguitur. Primo sic. Sicut se habet luminum corporale ad visum corporalem, sic et spirituale ad visum spirituale. Sed luminum corporale, ut sol, lumen diffundendo facit videre corporaliter oculum corporalem. Ergo luminum spirituale, cuiusmodi est angelus, diffundendo lumen spirituale faciet videre oculum humanae mentis spiritualem.

Secundo sic. Quanto aliquid magis est in actu, tanto magis natum

ARTICULUS I

est educere id quod est in potentia ad actum. Angelus magis est in actu sciens quam homo. Si ergo homo, ut dictum est, per hoc quod est in actu sciens potest docendo facere hominem actu scientem, multo fortius ergo et angelus. |

<SOLUTIO>

In hac quaestione et in aliis consimilibus, ubi veritas latet et fides nihil distinguit, nihil asserere debemus nisi quod naturali ratione fidei tamen consentaneum et non contrarium poterimus investigare, et ubi quaestio una plures sinus habet et difficultates sicut ista, non solum omnia, sed singula, suis locis propriis et semper pro tanto quantum ad propositum negotium pertinet pertractanda sunt. |

Dicendum ergo quod rationalis animae humanae duplex est status: unus separationis eius a corpore et alter unionis eius cum corpore. In primo statu est intelligentia quaedam, sicut angelus, et tunc idem iudicium de modo docendi angelum ab angelo et animam humanam ab angelo, de quo nihil ad praesens, maxime cum quaestio est de scientia hominis coniuncti, quae est alterius generis ab illa quae est animae separatae, ut alias patebit. |

Circa scientiam animae et modum intelligendi ut est in corpore, et ita hominis per animam considerandum quod triplex est.

Unus est pure naturalis, quia naturalis et modo naturali, quo intelligit ea quae sibi naturaliter subsunt, ut naturalia et ea quae ex sensu circa naturalia potest investigare. Qui est naturalis, quia ex principiis et naturalibus instrumentis potest ad ipsum pertinere, et est modo naturali, quia per sensus et sensibilia acceptus. De quo modo sciendi dicit PHILOSOPHUS quod *«deficiente sensu necesse est deficere scientiam»* secundum illum sensum. *«Caecus enim natus nihil potest cognoscere de coloribus, | neque intelligendo neque imaginando»*.

Secundus est partim naturalis, partim supernaturalis, quo intelligit per fidem ea quae sunt fidei. Qui est supernaturalis, quia per lumen aliquod supernaturaliter infusum; est autem naturalis, quia modo naturali, quia per fidem et ex fide non intelligimus nisi sub similitudinibus corporalibus involuta. Propter quod dicit APOSTOLUS I^a <Ad> Corinthios XIII^o: *«Videmus nunc per speculum in aenigmatibus»*, et beatus DIONYSIUS in principio Caelestis Hierarchiae: *«Impossibile est aliter lucere nobis divinum radium nisi sacrorum velaminum similitudine involutum»*.

Tertius modus est omnino supernaturalis, quo intelligit homo

QUAESTIO 8

pure spiritualia circa Deum et spirituales creaturas. Qui est supernaturalis, quia de illis ad | quae attingere non potest nisi per lumen supernaturale, et est modo supernaturali, quia non per species a sensibus acceptas, sed illis omnino sopitis, quoniam illa non contingit homini in vita ista videre nisi per ecstasim in tertio genere visionis intellectualis, quali vidit PAULUS *«ea quae non licet hominem loqui»*, ut dicitur | II^a <Ad> Corinthios XII^o. De qua dicitur super illud II^{ae} <Ad> Corinthios V^o: *«sive mente excedimus»: «Ecstasis est excessus mentis»* in quo inferiora a memoria elabuntur; in qua fuerunt omnes sancti, quibus aliqua supermundana revelata sunt. Unde nec | de isto tertio modo sciendi, si homo poterit doceri ab angelo, quaestio est, quia ille status sic sciendi aliquid habet animae separatae, sed de primo modo et secundo.

Et quia non est dubium homines in multis veritatibus per angelos doceri — hoc enim expertum est testimonio Sacrae Scripturae, secundum quod DANIELIS X^o legitur angelum dixisse ad DANIELEM: *«Veni ut docerem te quae ventura | sunt»*—, | hoc igitur absolute concedendum est. Sed quis sit docendi modus angelo proprius, hic | quaerimus. Perquiremus igitur dicta aliorum circa hoc, ut quod verius videbitur teneamus, quia dubitare de singulis non erit inutile.

Et includuntur dicta omnium de hoc quos videre potui in tribus modis quibus ponunt angelum docere hominem. Quorum primus ponit hoc angelum facere operando circa hominis intellectuale; secundus vero ponit ipsum hoc facere operando circa hominis imaginativum; tertius autem ponit ipsum hoc facere operando circa hominis sensus particulares. Isto tertio modo ponendi dicunt quod angeli | docent homines ordinate proponendo sensibus eorum sensibilia a quibus recipiuntur ordinata phantasmata in imaginativa, | et ab illis ordinatis species intelligibiles ordinatae recipiuntur in intellectiva ad modum quo dictum est superius homines doceri per hominem.

Sed de isto modo docendi nulla est dubitatio quin angeli, tam boni quam mali, possint homines docere, vel per signa naturalia prius a natura formata, aut quae ipsi ex materia vi sua conformant, vel per signa artificialia vocum significativarum, qualia ipsi possunt formare in assumpto corpore, quod nobis non manifestent vel quod nobis manifestent; et hoc vel ab ipsis formato, in quali angelus docuit Mariam de Filii Dei incarnatione, LUCAE II^o, vel a natura prius generato, secundum quod daemones loquuntur et docent per energumenos movendo in eis organa vocum ad loquendum aliquando linguam quam ignorant obsessi vel sicut | angelus docuit Balaam loquens per *«os asinae»*, NUMERORUM XXII^o. Sed iste modus docendi non est proprius angelo, quia convenit etiam homini, unde nec ipsum

ARTICULUS I

quaerimus.

Secundo modo principali, scilicet ponendo angelum docere operando circa nostrum intellectuale, triplex est modus ponendi. |

Primus est quod cum omnis intellectualis operatio per duo perficiatur, scilicet per lumen intellectuale et per species intelligibiles, ita quod per species fiat apprehensio, per lumen vero iudicium de apprehenso, cum igitur, ut dictum est supra, modus proprius docendi ipsius Dei sit ex parte luminis quo illustratur homo ad percipiendum certam et sinceram vel etiam quamcumque veritatem, modus vero docendi hominis sit ex parte specierum eius adminiculo ordinarum in intellectu, angelus autem medius natura est inter Deum et hominem, medius ergo modus docendi convenit ei partim communicando cum modo docendi hominis et partim cum modo docendi Dei [cum modo docendi Dei] per hunc modum. Quia enim angelus habet lumen intellectuale imperfectius quam Deus, lumen intellectuale non potest ei imprimere, ut ita perfecte discat, sicut lumine quod imprimit ei Deus. Lumen enim | Dei est ratio exemplaris cuiuslibet creaturae, ut dictum est supra, non sic | autem lumen angeli. Quia tamen angelus | habet lumen intellectuale perfectius quam homo, potest se cum lumine spirituali animae humanae applicare spiritualiter, et illud ex praesentia et approximatione sua confortare, et quasi accendere ad perfectius inspiciendam veritatem. |

Sed hoc nihil est, quoniam nihil proprie docet nisi quod ad causandum exemplar rei cognoscendae in mente aliquid agat quo verbum veritatis de re concipiat. Per hoc enim solum informat discentem | scientia, quod appellatur docere. Hoc autem lumen angeli nullo modo facere potest, eo quod ipsum non est exemplar rei, quo verbo veritatis de re ipsa mens informari possit. Unde nec Deus dicitur proprie docere ratione qua est lumen intellectuale accendens lumen hominis naturale, ut ad intelligendum acuat, sed solum in quantum est ars et liber rationum viventium. Per hoc enim solum imprimit menti verbum determinatum naturae rei, et eius distinctam cognitionem facit, ut dictum est supra. |

Secundus modus ponendi angelum docere operando circa nostrum intellectuale est quod angeli sunt sicut specula spiritualia clara lucida, et similiter animae humanae. Et ideo cum angelus applicat se et opponit spiritualiter animae hominis, speciei quam habet in se species consimilis formatur in anima, sicut speculum materiale in speculo sibi opposito format imaginem qua informatur. Et ita per hunc modum docendi dicitur quandoque quod angelus visa sua facit nostra, et docet nos.

QUAESTIO 8

Hoc apparet inconueniens tripliciter. Primo sic, quia si angelus sic posset animam coniunctam corpori informare et sua visa communicare, multo fortius et animam separatam, et unus angelus alium angelum, et unus angelus primus omnem alium angelum, ut sic intelligant per species acquisitas, non per innatas, quod multis inconueniens videtur.

Secundo apparet hoc inconueniens, quia angelus non posset animam specie sua informare | migrando, sed solum speciem consimilem ei quam habet in se in eam generando, sed hoc non contingit nisi in naturalibus activis et passivis, quales non ponuntur esse aliquae substantiae separatae a materia.

Tertio apparet inconueniens, quia anima hominis, ut est principium intelligendi in homine, non recipit species nisi a phantasmate, tamquam a suo proprio activo, nec aliter nata est eas recipere. Quare cum nihil natum est pati naturaliter nisi a suo activo, ab angelo nullo modo talem impressionem potest immediate recipere. Unde et AUGUSTINUS vult III^o De Trinitate quod angeli nihil agant producendo in rebus naturalibus nisi mediantibus causis naturalibus. Aut igitur anima species illas spirituales ab angelo non recipit aut per illas nullatenus intelligit. Et ideo angelus per eas hominem omnino docere | non poterit. Et hoc est quod testatur beatus BERNARDUS dicens super Canticum: | *«Scitote nullum creatorum spirituum per se mentibus nostris applicari, | ut nullo medio nostri siue corporis instrumento, ita nobis misceatur, ut eius participatione docti siue doctiores, boni siue meliores efficiamur».* |

Tertius modus ponendi angelum docere operando, scilicet circa nostrum intellectuale, est quod sicut homo nutu suo solo alium hominem subtilem in multis potest docere, sic angeli nutus quosdam spirituales possunt animae hominis interius ostendere, et per hoc hominem docere. Sed quod sic hominem solis nutibus doceat, hoc omnino est impossibile, quoniam anima nihil ab extra se apprehendit, nisi specie illius informetur. Aut ergo anima nutus illos omnino non apprehendet, et ideo | per illos angelus hominem omnino docere non poterit; aut | nutus ipsi facient species suas in animam hominis. Quod est impossibile, quia speciebus informari non potest nisi acceptis a phantasmate et per sensus, ut dictum est. Quod si sic species ipsorum acciperet et | angelus hominem doceret, esset ille modus docendi quo determinatum est supra hominem unum docere alium. |

Tertio modo | principali ponendi angelum docere hominem, operando scilicet circa nostrum phantasticum, triplex est modus ponendi, quorum duo sunt impossibiles, tertius vero possibilis. Primus illorum est quod ipse angelus existens in organo phantasiae ostendit

ARTICULUS I

intellectui species imaginabiles, non tamen imprimendo eas in phantasia, quales ipsa phantasia nata est eidem ostendere, ut ab eis abstrahantur species intelligibiles | per quas intelligat, et sic per illas angelus hominem doceat. Quod est omnino impossibile, quia talis species imaginabilis non est nata fieri nisi ab obiecto sensibili et in organo corporali. Et cum hoc si ab alio nata esset fieri per se subsistens, non tamen ab ea intellectus abstraheret species intelligibiles, quia non est natus abstrahere eas nisi a speciebus existentibus in phantasmate, quae se habent ad intellectum sicut colores ad visum, ut vult PHILOSOPHUS in III^o De anima. |

Secundus modus ponendi angelum operari circa nostrum phantasticum in docendo hominem est quod angelus imprimit novas species imaginabiles immediate in phantasia, quales natus est sensus imprimere, ut ab illis intellectus species intelligibiles abstrahat. Et per hunc modum angelus hominem doceat, sicut dictum est prius. Quod est impossibile propter causam iam dictam, quia tales species non sunt natae generari nisi ab | obiecto sensibili et mediante sensu particulari. Angelus autem nihil de novo operatur circa res naturales nisi mediantibus causis naturalibus, ut dictum est supra. |

Ideo sequitur tertius modus ponendi angelum docere hominem operando circa organum phantasiae, non aliquid ei imprimendo, sed impressa ipsi a sensu disponendo, ut regulariter et ordinate ab ipsis species intelligibiles abstrahantur, sed hoc ponitur facere dupliciter. Uno modo amovendo prohibens, motum scilicet inordinatum imaginum in phantasmate sedando. Quibus inordinate motis non potest mens per ipsas aliquid determinate intelligere. Fit enim illa sedatio reprimendo id quod motum imaginum in phantasmate facit inordinatum, sive hoc sit naturae malitia, vel morbus, vel disturbatio aliqua humorum, vel prava consuetudo, vel daemonis actio, ut sedata perturbatione possint imagines ordinate movere intellectum, et sic «*sedendo et quiescendo fiat anima prudens*», ut dicitur in VII^o Physicorum. Sed iste modus docendi et agendi est omnino per accidens, quia «agens solum *removens prohibens* est agens *per accidens*».

Ideo est secundus modus quo ponitur | illud agere per se. Et non videtur esse alius modus possibilis angelo, ut doceat hominem secundum statum communem acquirendi scientiam ab homine in hac vita, quem ad praesens quaerimus. | Et est iste modus quod angelus dicatur docere hominem agendo circa imagines in phantasmate receptas a sensu, ut ordinate praesententur et proponantur intellectui, cum intentus est ad intelligendum, et hoc ex ordine quo natae sunt movere intellectum ad ordinate recipiendum species intelligibiles, | per quas

QUAESTIO 8

formentur ordinati conceptus in intellectu secundum ordinatum discursum a primis scibilibus ad scibilia posteriora, sicut supra expositum fuit in modo docendi quo homo docet hominem. Et hoc possunt facere angeli, tam boni quam mali, naturali potentia quam habent ad transmutandum naturalia localiter et corporaliter.

Possunt ergo angeli docere homines per motum spirituum et humorum in hominis phantastico, ordinando imagines existentes in ipso, tali ordine quo | intellectus intelligere possit per species intelligibiles abstractas ab eis quae numquam vel qualia numquam intellexit, secundum quod de tali ordine facto in imaginibus | a natura aliquando videntur in somnis qualia numquam fuerunt visa in vigilia, ut determinat | PHILOSOPHUS in *De somno et vigilia*. Unde de tali potentia angelorum dicit AUGUSTINUS 83 *Quaestionibus*: «*Daemon serpit per omnes aditus sensuales, dat se figuris, accommodat coloribus, adhaeret sonis, odoribus se subiicit, infundit saporibus*», et ostendit homini formas notas et ignotas, ex quibus facit conceptus complexos et incomplexos quales numquam prius conceperat.

Intelligendum tamen quod nullam formam per hoc potest repraesentare cuius imaginem | aut speciem extra sensu non perceperat, vel in toto vel in parte, secundum quod dormientes somniant montes aureos, quod non possent facere, si numquam seorsum vidissent montem, seorsum aurum. Hoc ergo modo angelus quod scit per species sibi innatas proponit homini in signis imaginum ordinate interius, sicut homo docens hominem scientiam suam proponit ei per ordinata sensibilia extra per quae ordinantur imagines intra. Et secundum hoc non differunt modus docendi hominis et angeli, nisi quod homo extra proponit illa per quae imagines ordinantur intra, angelus vero interius motu suo facit ut illa ordinatio fiat. Est autem hic advertendum quod cum homo doceat accidentaliter per accidens, quia per signa artificialia significativa ab impositione, ut dictum est supra, angelus docet per accidens, quia non nisi imagines proponendo, sed non accidentaliter per accidens, quia illae imagines sunt signa naturalia per se intellectum ad formandum conceptus de rebus ducentia. |

<AD ARGUMENTA>

Quod ergo arguitur primo, quod angelus non potest hominem docere, quia nec lumen nec speciem imprimit, dicendum quod hoc facere est | docere per se, et licet sic non doceat, docet tamen quodammodo per accidens phantasmata ordinando, ut dictum est. |

ARTICULUS I

Similiter patet ad secundum argumentum principale. Si enim immediate angelus a sua scientia scientiam causaret in homine, talem modum sciendi causaret in homine qualem ipse habet, | si tamen subiectum esset et susceptibile, | quod nunc non est ita. Et ideo adhuc si hoc modo reciperetur scientia in homine ab angelo, reciperetur tamen secundum modum recipientis. Nunc autem quia angelus non causat in homine scientiam nisi per phantasmata, per quae discurrendo intelligit, ideo alium modum scientiae in homine causat quam sit ille quo ipse novit. |

Ad argumenta in oppositum, quia nituntur ad inconveniens, similiter respondendum est. Quod ergo arguitur primo in oppositum, quod «angelus potest docere | lumen infundendo spirituale, quia sol corporaliter facit | videre lumen infundendo corporale», dicendum quod licet ita sit, neuter tamen horum lumen infundit nisi in disposito et luminis susceptivo. Nunc autem intellectus humanus corpori coniunctus secundum communem statum viae non est dispositus ad recipiendum huiusmodi ab angelo illuminationem, quidquid sit de hoc ipso posito in alio statu, sive in corpore sive extra corpus. |

Ad secundum, quod «angeli scientia magis est in actu quam hominis, ergo etc.», dicendum quod ratio procedit ac si | scientia esset potentia activa, et per hanc viam ab una scientia altera generaretur, secundum quod obiiciebat COMMENTATOR super III^{um} De anima. Nunc autem non sic est, nec per hanc viam generatur scientia, sive ab homine sive ab angelo. Et non est alius modus quo angelus doceat hominem possibilis secundum statum communem viae nisi mediante hominis phantasmate, ut dictum est. |

QUAESTIO 9

UTRUM ACQUIRENS PER SE SCIENTIAM POSSIT DICERE SE IPSUM DOCERE

Circa nonum arguitur quod acquirens scientiam possit | dici docere se ipsum.

Primo sic. Actio quaelibet magis debet attribui causae principali quam instrumentali. Sed homo qui docet exterius signa sensibilia proponendo | secundum modum praedeterminatum est quasi causa instrumentalis in docendo respectu intellectus agentis. Signa enim illa sunt quasi instrumenta intellectus agentis, a quibus | species imprimit in intellectu possibili quibus docetur et intelligit, ut dictum est. Intellectui

QUAESTIO 9

ergo agenti tamquam causae principali magis debet attribui actus docendi quam homini exteriori. Si ergo homini exteriori propter illa instrumenta signorum quae proponit attribuitur actus docendi, ut vere dicatur esse doctor, multo fortius et intellectui agenti debet attribui actus docendi. Sed quod attribuitur ipsi intellectui verius attribuitur ipsi homini cuius est, quia ipse intellectus respectu actus non est nisi hominis instrumentum. Ergo ipsi homini qui discit principaliter debet attribui actus docendi. Vere ergo potest dici quod homo doceat se ipsum acquirendo per se scientiam, multo magis quam acquirendo per alium.

Secundo sic. Ille principaliter docet qui facit discentem esse certum de veritate cognita. Hoc autem facit homo ipsemet in se magis quam homo exterius per iudicium naturalis rationis suae, ut dictum est supra. Homo ergo acquirendo per se scientiam verius debet dici docere se ipsum quam alius homo exterior.

Tertio sic. Sicut homo se bene exercendo est sibi causa virtutis, ita et bene ac diligenter inquirendo est sibi causa scientiae. Sed qui est causa scientiae dicitur docere. | Ergo etc.

In oppositum est PHILOSOPHUS, qui dicit in VIII^o Physicorum quod *«impossibile est quod docens addiscat»*. |

<SOLUTIO>

Ad intellectum huius quaestionis solum oportet scire quid dicitur et intelligitur nomine 'doctoris'. Sciendum igitur quod omne agens in quantum huiusmodi debet esse aliquid existens in actu secundum esse formae illius qua agit. Quod patet tam in agente principali quam instrumentali. Generans enim animal tamquam agens principale debet habere perfecte secundum actum in se formam animalis; generans vero animal tamquam agens instrumentale, ut calor naturalis, debet habere in se secundum actum virtutem formae animalis. Quod ergo importat perfectam rationem principii activi secundum aliquam formam ad causandum similem sibi in alio debet esse perfecte informatum forma illa secundum actum in quantum huiusmodi. Nunc autem doctor nomine suo importat perfectam rationem principii activi secundum scientiam ad causandum scientiam consimilem in alio, modo tamen quo determinatum est supra. 'Doctor' ergo ratione sui nominis significat docentem in se habere secundum actum perfectam informationem scientiae. Quare cum discens in quantum huiusmodi non est actu habens scientiam, sed in potentia tantum, actus autem et potentia ad

ARTICULUS I

illum, cum sint contraria secundum PHILOSOPHUM in IX^o Metaphysicae non possunt esse simul in eodem, idem ergo non potest esse discens et docens se ipsum. Et hoc est | quod dicit PHILOSOPHUS VIII^o Physicorum: «*Impossibile est quod docens addiscat*», quia docentem necesse est habere scientiam, discentem vero non habere. Cum ergo per se acquirens scientiam proprie est discens, talis in acquirendo scientiam nullo modo potest dici docere se ipsum. |

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod «homo instrumentaliter docens dicitur doctor, multo fortius ergo et homo per | suum intellectum, cuius ille est instrumentum», dicendum quod alia est ratio qua dicitur aliquis doctor, et alia qua dicitur causa doctrinae. Causa enim doctrinae | solummodo dicitur ex eo quod agit ut in alio doctrina fiat in actu, quocumque modo etiam instrumentali, et ideo non oportet ipsum in quantum huiusmodi forma doctrinae informari. Doctor autem, ut dictum est, non | dicitur nisi quia agit secundum formam doctrinae qua informatur. Licet ergo intellectus hominis principaliter agit ut fiat scientia in se | ipso, quam homo exterior, ut probat argumentum, quia tamen homo exterior agit ex forma scientiae qua informatur, secundum eam disponendo et proponendo signa quibus alter docetur, non sic autem agit ipse homo per suum intellectum, cum ex se ipso acquirit scientiam, merito ergo debet dici doctor homo exterior, non autem ipsemet sui ipsius. | Unde et si agens | interior aliquando dicatur doctor, hoc est improprie sumendo nomen 'doctoris', extendendo ipsum ad principale agens in discendo. Discere enim communius est quam doceri, quia discere non solum dicit relationem ad docentem, sed etiam ad quamlibet scientiam causantem, ut homo poterit dici discere ex se ipso, non autem doceri, quia doceri solum dicit relationem ad docentem.

Per idem patet responsio ad secundum. |

Ad tertium dicendum quod bene concedendum est hominem esse sibi causam scientiae, sicut et virtutis, ut tamen non dicatur ex hoc | doctor sui ipsius. Non habendo | enim virtutem potest homo sibi esse | causa moralis virtutis. Et similiter non habendo scientiam potest sibi esse causa scientiae. Habendo autem scientiam impossibile est quod sibi sit causa scientiae ea ratione sciendi qua habet eam. Alia autem ratione non est inconueniens, ut quod habens scientiam in universali sit sibi causa scientiae in particulari, sicut etiam habendo aliquid uno modo potest homo esse causa eiusdem in se ipso, non habendo illud alio

QUAESTIO 9

modo, sicut contingit in medico qui sanat se ipsum. Ipse enim habens sanitatem in cognitione artis causat eam in habitu sui corporis. Nunc autem cum ad hoc quod aliquis dicatur doctor, secundum eandem rationem qua habet scientiam debet eam causare, et impossibile est quod idem simul scientiam aliquam habeat et non habeat eodem modo, non autem est aliquis doctor nisi habendo scientiam quam debet docere, et secundum modum quo eam debet docere, neque aliquis docetur nisi non habens scientiam vel non secundum illum modum quo debet doceri, impossibile ergo est omnino quod aliquis se ipsum doceat, quamquam sit possibile ut aliquis in se ipso scientiam, sicut et sanitatem aut virtutem, causet. |

QUAESTIO 10

UTRUM CONTINGAT HOMINEM ACQUIRERE SCIENTIAM NIHIL PRAESCIENDO

Circa decimum arguitur quod homo non potest acquirere scientiam nihil praesciendo.

Primo sic. Qui nihil praescit in nullo novit quod quaerit, et talis nescit quando invenit quod quaerit, sicut dicit THEMISTIUS super principium libri Posteriorum. Qui hoc autem nescit nihil addiscit, quia non est addiscere nisi sciendo quaesitum per actum | addiscendi. Ergo etc.

Secundo sic. PHILOSOPHUS dicit IX^o Metaphysicae: «*Nil movetur ad aliquid nisi habeat aliquid de eo ad quod movetur*». «*Discens movetur ad scientiam; ergo habet aliquid scientiae*», quod expresse dicit ibidem. «*Necesse est*», inquit, | «*ut addiscens habeat aliquid de cognitione*».

Tertio sic. Addiscens omnis desiderat scire; aliter enim non laboraret ad sciendum. Sed secundum AUGUSTINUM X^o De Trinitate «*incognita desiderare | non possumus*». Ergo addiscens novit aliquid, quod | expresse dicit | ibidem: «*Nisi*», inquit, «*impressam in animo haberemus tamquam disciplinae notionem, nullo modo ad eam descendam studio flagramus*». Quare cum flagramus studio discendi, necesse est quod studentes scire aliquid habeamus de scientia.

Quarto sic. In principio Posteriorum dicit PHILOSOPHUS: «*Omnis doctrina ex praeexistente fit cognitione*». Discens non acquirit discendo nisi disciplinam. Ergo acquirit eam ex praeexistente cognitione.

Quinto sic. AUGUSTINUS III^o De Academicis: «*Nemo disciplinam in animo habere poterit qui nihil didicit*». Et sequitur statim: «*Nil*

ARTICULUS I

autem didicit qui nihil novit. Ergo etc.

Oppositum arguitur primo sic. Secundum PHILOSOPHUM III^o De anima «*intellectus noster ante addiscere est sicut tabula rasa in qua nihil depictum est*». Sed sine pictura scibilia existens nullam habet scientiam. | Ergo ante addiscere nullam habet omnino scientiam addiscens. Ergo nihil praenoscit.

Secundo sic. Ibidem: «*Intellectus de se est | omnia in potentia et nihil in actu eorum quae intelligit ante intelligere*». Addiscit autem antequam intelligit id quod non intelligit. Ergo ante addiscere non est actu aliquid eorum quae postea intelligit. Sed non est notitia nisi sciat homo actu id quod novit. Ergo intellectus ante addiscere nihil novit. Ergo etc.

Tertio sic. Non est intellectus de se magis in actu intelligendi quam sensus in actu sentiendi, quia non fit intellectus in actu nisi per sensum. Sed sensus fit in actu sentiendi nihil omnino praesentiendo. Ergo et intellectus fit in actu intelligendi nihil omnino praecognoscendo. Et fit in actu per addiscere. Ergo etc. |

<SOLUTIO>

Dicendum, secundum quod distinguit PHILOSOPHUS in II^o De anima, quod homo dicitur sciens dupliciter: sciens in actu et sciens in potentia. Sciens in actu est habens habitum scientiae et considerans secundum ipsum; qui dicitur «*sciens proprie*» «*et in rei veritate*». Ad istum non pertinet addiscere, sed docere, quia est perfectus in scientia, ut dictum est in praecedenti quaestione. Sciens autem in potentia dicitur duobus modis: uno modo quia est «*innatus scire*», alio modo quia habet scientiam in habitu, | sed «*non utitur ea*», neque considerat secundum eam. Primo modo homo «*ignorans* dicitur *esse sciens in potentia*», quia est sicut materia in quantum est receptibile scientiae. Secundo modo dicitur homo in potentia sciens, quia habet potentiam considerandi «*cum vult*». Sciens autem in potentia isto secundo modo, qui cum vult, vadit ad actum considerandi, non dicitur addiscens, neque acquirens scientiam, sed est «*alius modus*» acquirendi scientiam, ut dicit PHILOSOPHUS in II^o De anima, qui dicitur rememoratio, | secundum quem modum PLATO posuit addiscere, et non alio modo. Sciens autem in potentia primo modo addiscens est et accipiens scientiam ab alio, ut a didascalo, et est in potentia sciens isto modo proprie sciens in potentia, quia est | sciens in potentia, actu scilicet contraria, quoniam, ut vult PHILOSOPHUS, iste quando vadit ad scientiam ex potentia, «*alteratur in*

QUAESTIO 10

actum per *doctrinam ex contraria dispositione*», quae est *«ignorantia»*.

Sciendum etiam quod potentia huiusmodi duplex est: quaedam pura omnino actui scientiae impermixta, quaedam autem permixta scientiae imperfecte, secundum quod duplex est ignorantia, quae est cum hac potentia ex qua transmutatur in actum contrariae dispositionis. Est enim, ut dicit PHILOSOPHUS in libro *P o s t e r i o r u m*, quaedam *«ignorantia negationis»*, quae omnem actum scientiae privat, et perfectum et imperfectum. Est et alia *«ignorantia dispositionis»*, quae actum scientiae perfectae privat, aliquem tamen | actum scientiae imperfectum ponit, | quia post ignorantiam negationis multipliciter homo mutatur ex dispositione contraria ad habitum, quousque habitus sit perfectus generatus, firmus et fixus. Et in tota media transmutatione est actus mixtus cum potentia. Habet enim addiscens in tota transmutatione sua qua vadit ad scientiam imperfectam notitiam cum potentia ad notitiam perfectam, ut iam dicitur. |

Cum igitur istis duobus modis itur ad scientiam ex contraria dispositione duplici, si appellemus addiscere communiter omnem motum ab ignorantia in scientiam, sive sit ab ignorantia negationis sive ab ignorantia dispositionis, dicendum quod necesse est ponere hominem addiscentem posse acquirere scientiam nihil praesciendo. Cum enim homo est in pura potentia et ignorantia negationis, omnino nihil novit, sicut oculus qui semper fuit in tenebris nihil umquam vidit. Sed hoc modo non sumitur addiscere proprie. Addiscens enim proprie dicitur qui per ductum alicuius exterius ad actum scientiae vadit via disciplinae vel per ductum naturalis rationis interius. Quia igitur qui nihil novit nihil ab alio percipit, quia signa quae doctor | proponit omnino ignorat, nec etiam per se ipsum ad aliquid tendit, | et non est proprie discens nisi talis, igitur procedens ab ignorantia negationis ad scientiam ille nihil novit. Sed talis non proprie, immo improprie dicitur addiscens. Discens enim proprie necesse est quod ipse ea quae proponit doctor apprehendat, et per intellectum ad aliquid quod prius non novit apprehendendum tendat.

Dicendum | igitur quod addiscere proprie sumptum oportet quod | sit motus, non ab ignorantia negationis ad scientiam, sed ab ignorantia dispositionis. Talis autem ignorantia | ponit aliquid scientiae. Et ideo oportet omnem proprie addiscentem scire aliquid. Propter quod PHILOSOPHUS, attendens motum discipuli in scientiam per doctorem, dicit in principio *P o s t e r i o r u m*: *«Omnis doctrina et omnis disciplina intellectiva fit ex praeexistenti cognitione»*. Et dicitur motus ille ut est in discipulo ‘disciplina’, ut procedit a magistro dicitur ‘doctrina’. Et quia iste motus ad scientiam est via investigationis et omnis investigatio

ARTICULUS I

ortum sumit a primis principiis scientiarum, idcirco oportet discentem praescire prima principia scientiarum, secundum quod dicit PHILOSOPHUS IV^o M e t a p h y s i c a e: «*Oportet addiscentem aliquid primo scire ista, et non quaerere ea cum quaeretur ab eo de eis*». Et ideo horum principiorum notitiam comparavit II^o M e t a p h y s i c a e: «*loco ianuae in domo quem nullus ignorat*», qui ad intrandum domum tendit, quia per illam ingreditur homo ad cognoscendum secretiora domus quae ignorat. Ubi dicit COMMENTATOR, «*In quolibet genere sunt aliqua respectu aliorum, quasi ianua respectu domus, et haec non latent aliquem. Et haec sunt prima cognita habita naturaliter in quolibet genere entium*»; et quomodo habita naturaliter, patebit in sequenti quaestione.

Quae autem discipulus circa principia debeat praecognoscere, nec quaerere ea cum addiscit, PHILOSOPHUS determinat I^o P o s t e r i o r u m . De dignitate enim debet supponere quia est, id est certam inhaerentiam praedicati ad subiectum. Et sumit ibi dignitatem pro quolibet principio complexo quod non est conclusio in scientia. De conclusione autem cuius scientiam quaerit debet habere duplicem notitiam: unam quoad partes quae sunt incompleta, subiectum scilicet et passio; alteram quoad inhaerentiam passionis in subiecto. De subiecto autem oportet praecognoscere quid est non definitive, quia hoc bene est quaesitum in scientia, ut patebit in sequenti quaestione, sed quid est quod dicitur per nomen, et similiter si est, non in existentia actuali exteriori, sed si sit res et natura aliqua alicuius | praedicamenti, ut infra patebit. De passione autem oportet praecognoscere quid est quod dicitur per nomen tantum, non si est, quia hoc est quod quaeritur scire de ea. Eius enim esse est subiecto inesse, cum sit accidens, quod verum est cognitione certa et determinata.

Si tamen aliquis ex principiis quaerit determinate scire aliquam conclusionem, ut utrum | angulus ad circumferentiam trianguli descripti in semicirculo sit rectus, necesse est ut prius aliquam eius notitiam habeat vel | ex testimonio magistri vel quocumque alio modo. Si autem nullo modo ipsam conclusionem praesciret nisi in universali in principiis, cum scire aliquid in universali in principiis est scire in potentia solum, et ita est | omnino nescire in actu, nullo modo eam determinate et in particulari scire affectaret. Oportet ergo | quod conclusionem praesciat in sua complexione aliquo modo, licet non eo modo quo quaerit scire. Si enim nihil eam praesciendo omnino neque eius scientiam quaerendo et affectando deveniat in eius cognitionem, hoc erit casu, quia praeter eius intentionem. Sed istum modum praecognoscendi non tangit PHILOSOPHUS cum aliis, quia non est scientialis, sed dubitationis vel opinionis. Frequenter enim cum dubitamus de

QUAESTIO 10

conclusionem utrum sit vera an falsa, eo quod | habemus in ista dubitatione aliquam notitiam de ipsa, procedimus ad investigandum an vera sit an falsa. Sed bene tangit istum modum praecognoscendi cum dicit quia «oportet eum credere qui discit». Unde cum magister geometra dicit quod | omnis angulus ad circumferentiam trianguli descriptus in semicirculo est rectus, statim discipulus credit, et sic aliquo modo novit conclusionem, sed non eo modo quo desiderat scire, scilicet per demonstrationem. Et ille modus praecognoscendi est ille de quo loquitur AUGUSTINUS X° De Trinitate. |

<AD ARGUMENTA>

Per haec patent omnia inducta ad primam partem, quia ostendunt quod addiscens proprie dictus debet habere aliquid de notitia, quod est verum, quia debet habere notitiam principiorum et aliquam conclusionis cuius quaerit notitiam, quam perfecte habebit in posterum, quia sine notitia aliqua illius quod quaerit scire non desideraret addiscere, et ideo nec moveret se ad addiscendum. Sine notitia vero principiorum non posset in addiscendo procedere, quia ex illis rationis industria debet eius quod quaerit perfectam notitiam elicere. |

Argumenta prima duo in oppositum procedunt non de acquisitione scientiae proprie dictae, quae fit in addiscente via investigationis suppositis principiis, et est scientia conclusionis, sed de illa scientiae acquisitione qua acquiritur notitia principiorum. De | illa enim verum est quod non habetur ex praesistente notitia. Quomodo autem habetur, exponet sequens quaestio. |

Ultimum argumentum videtur probare quod perfecta notitia intellectus possit haberi addiscendo et nihil praesciendo, quia notitia sensus statim habetur nihil praesciendo. Dicendum igitur ad illud secundum PHILOSOPHUM II° De anima quod sensus comparatur intellectui qui habet habitum in actu, sed non actu considerat, quia sicut sensus potest exire statim in actum sentiendi per sensibilia, quae sunt extra, sic intellectus habens habitum scientiae statim potest procedere in actum considerationis per intelligibilia, quae sunt intra. Et non differt nisi quod sensus habet moventia particularia extra se, anima autem habet sua intellecta universalia intra se. Propter quod, ut dicit, «intelligimus cum volumus, non autem sentimus». | Si autem comparetur intellectus ante habitum ad sensum, non valet comparatio nisi quoad simplicem comprehensionem et conceptum rei per suam speciem. Huic enim intellectui advenit naturaliter prima cognitio simplicis

ARTICULUS I

apprehensionis, sicut ut sensui, ut dicitur in proxima quaestione, | sed in hoc non est intellectus | contentus, sed ulterius vadit ad cognoscendum id quod latet in apprehenso, scilicet ad comprehendendum veritatem rei apprehensae, et ea quae in ipsa latent, ut sunt proprietates, accidentia consequentia ipsam; quod sensus non habet facere, quia rationalis non est, nec virtus collativa. Unde dicitur intelligere quasi «intus», id est sub ipso quod | primo apprehenditur, «legere» ad ulteriora cognoscenda, secundum quod dicit AVICENNA IX^o Metaphysicae assignans in hoc differentiam intellectus et sensus, dicens: «*Anima rationalis plura comprehendit et plus scrutatur apprehensum et plus exspoliatur illud ab illis quae non sunt intra intentionem rei nisi accidentaliter, et ipsa penetrat interiora comprehensi, et exteriora*». Et hoc est nobilitatis quam habet intellectus supra sensum; et ad hoc eget aliquo principio scientiali superposito ad sciendum et intelligendum veritatem in re, quali non indiget sensus ad solummodo comprehendendum id quod est superficiei tenus sensibile in re. |

QUAESTIO 11

UTRUM NOTITIA PRAECEDENS OMNEM SCIENTIAM ACQUISITAM SIT HOMINI INNATA

Circa undecimum arguitur quod notitia praecedens scientiae investigationem non sit innata, sed acquisita.

Primo sic. Sine eo | quod rei est innatum, nec unquam fuit, nec esse poterit, quia inest ei a natura et inseparabiliter. Sed mens humana ab initio est sine omni notitia, ut probant tria argumenta ad secundam partem | quaestionis praecedentis. Ergo si aliqua notitia praecedat scientiam acquisitam per investigationem, illa non potest esse innata.

Secundo sic. «*Principia*» secundum PHILOSOPHUM «non cognoscimus nisi *in quantum* | *terminos cognoscimus*». Cognitio terminorum non inest nobis a natura, sed per species rerum acceptas a sensu eam acquirimus. Ergo etc.

Tertio sic. Quod habetur via experientiae | non habetur a natura, sed ab acquisitione, quia experientia opus | rationis est, non naturae. Principia prima quae supponit addiscens per hunc modum habentur secundum PHILOSOPHUM I^o Metaphysicae et II^o Posteriorum. Ergo etc.

Ad oppositum sic. «*Omnis homo natura scire desiderat*», I^o Metaphysicae. Desiderium autem non est nisi ex aliqua notitia secundum AUGUSTINUM X^o De Trinitate, nec potest esse

QUAESTIO 11

desiderium naturale nisi ex aliqua notitia naturali ante investigationem.
Ergo etc. |

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc: secundum quod triplex est scire, scilicet in potentia, in habitu, et in actu, de quo dictum est in quaestione proxima, triplex inest homini notitia: in potentia, in habitu, et in actu. Notitia in potentia est notitia qua homo innatus est scire et nosse; quae est in naturali iudicatorio existente in anima quae est in potentia ut fiat omnia in cognoscendo, | sicut sunt in materia potentiae quibus est in potentia ut fiat omnia in essendo, et praecedit omnem habitum et omnem actum notitiae naturaliter in anima praeexistens, sicut potentiae in materia praecedunt omnem formam et actum formae naturaliter in materia, et inclinatur animam tamquam naturalis potentia et vis in ipsa, ut naturaliter tendat ad apprehendendum verum, sicut illae inclinant materiam, ut naturaliter se extendat ad suscipiendum in se formas rerum. Quare cum illud quod est solum in potentia simpliciter est non ens, ut quod est in potentia homo non est homo, propter illam notitiam quae est in potentia pura non debet homo dici habere notitiam aliquam aut scientiam aliquam, sed magis neque scientiam habere neque notitiam, neque scire aliquid aut nosse omnino, sicut materia propter potentiam quam habet ad formas non dicitur habere formam aliquam, neque esse ullo modo formata, sed quantum est in se omnino dicitur esse informis. Unde per hoc quod concessum est supra, quod scientia in potentia innata est homini a natura, similiter et scire, non intendimus ponere quod aliquid habitus scientiae vel notitiae actualis insit a natura in anima, sicut nec aliquid formae vel actus eius ponimus esse a natura in materia per hoc quod ponimus | ipsam a natura esse in potentia ad omnes formas. Et tenet se illa potentia in anima plus ex | parte animae quam alicuius habitus, sicut et potentia materiae plus se tenet | ex parte materiae et potius est aliquid ipsius materiae quam ipsius formae. Quomodo autem hoc sit intelligendum, alias videbitur. Haec autem notitia in potentia sola nobis innata est. Appellando ergo acquisitum omne superveniens ei quod innatum est, omnis notitia in habitu et omnis notitia in actu acquisita est. |

Sed aliquid quod non est innatum, sed superveniens et acquisitum, dupliciter potest acquiri: uno modo naturaliter, alio modo rationaliter. Primo modo acquirit homo notitiam primorum principiorum tam in speculativis quam in activis. Sicut enim oculus de se nullam habet

ARTICULUS I

speciem visibilium innatam, quia secundum PHILOSOPHUM «*receptivum colorum est non color*», neque aliquem actum videndi antequam species recipiat, quia «*videre pati quoddam est a visibili*», sed | nullo impedimento existente, neque ex parte sensus neque mediū neque obiecti, statim cum offertur visibile, speciem suam naturaliter facit in visum et facit oculum actu videre, ita quod hoc contingente oculus non potest non recipere speciem et necessarium est ipsum videre visibile, et exinde naturaliter defertur species usque ad imaginativam et informat eam, sic humanus intellectus de se nullam habet speciem intelligibilium innatam, neque aliquem intelligendi vel sciendi habitum aut actum, | sed secundum PHILOSOPHUM «*solum est omnia intelligibilia in potentia*», et «*non est aliquid eorum actu antequam intelligi*», et non intelligit nisi | specie recepta, quia est «*virtus passiva*», sed nullo impedimento existente, neque ex parte intellectus neque in imaginatione, statim naturaliter ab imaginativa virtute intellectus agentis generatur species intelligibilis in intellectu possibili naturaliter, et maxime in prima receptione quam nulla cognitio praecedat. Et tunc facit statim species recepta intellectum intelligere et primos conceptus formare, qui statim naturaliter veritate sua movent potentiam cognoscitivam; et illa statim naturaliter per naturale iudicium existens in ea, statim in ipsis conceptibus cognoscit veritatem principiorum et concipit initium habitus principiorum, qui dicitur intellectus ex primo actu quo intelligit veritatem principiorum, quorum habitu concepto quantumcumque imperfecto habilis est mens ex illo intelligere primorum principiorum veritatem. Hoc ergo modo habitus principiorum supervenientes | sunt dicto iudicario principio sciendi innato; et non sunt innati, sed naturaliter acquisiti per potentias naturales animae rationalis, sicut oculus naturaliter acquirit species colorum in se et per illas naturaliter videt. Tali autem notitia principiorum supposita ex acquisitione tali, homo via investigationis rationalis rationaliter per potentiam naturalem rationis, ut est ratio, | discurrendo acquirit sibi ex notitia illorum principiorum notitiam conclusionum, et per hoc etiam habitum eorum, quo de facili potest se homo, cum vult, convertere super eas intelligendas; qui dicitur scientia. Et dicitur proprie habitus acquisitus, quia per rationis investigationem et industriam advenit. Habitus autem principiorum similiter acquisitus est, sed naturaliter, ut dictum est; et ideo non proprie acquisitus dicitur.

Quia ergo addiscens proprie dictus est qui scientiam rei acquirit per investigationem, sic autem non acquirit nisi scientiam conclusionis determinatam et in particulari, et praesupponendo solum notitiam principiorum et notitiam conclusionis confusam et in generali, |

QUAESTIO 11

dicendum ad quaestionem quod notitia praecedens scientiam acquisitam per investigationem, quantum ad notitiam in potentia principii scientialis, est notitia naturalis innata, nullo | modo acquisita. Et qualis sit illa, dictum est, quia in potentia pura, quia scilicet innati sumus scire, ut dicit | in II^o Ethicorum. Quantum vero ad notitiam principiorum et similiter conclusionis modo confuso et in generali non est innata ullo modo, sed naturaliter acquisita, et ita non proprie acquisita, quia naturaliter, ut dictum est, adveniens est, non quaesita nec investigata, sicut est quaesita et investigata a discente | scientia conclusionis. |

<AD ARGUMENTA>

Per haec patent obiecta. Primum enim, quod «mens humana ab initio est sine omni notitia», bene verum est de notitia in habitu vel in actu, quae proprie notitia dicitur. De notitia autem in potentia, quae non est proprie notitia, non est verum. Illa enim, ut dictum est, inest animae a natura. Unde quantum ad omnes habitus scientiales anima ab initio est *sicut tabula rasa*, tamen sicut complanata | et apta nata omnia haec recipere quae in ea describi possunt, et etiam apta de eis receptis iudicare. Unde quantum ad omnia ista recipienda quae praecedunt notitiam inquisitivam, simile est de sensu et intellectu, nisi quoad hoc quod sensus nullam veritatem habet comprehendere | circa sensibilia, quod facit intellectus circa intelligibilia, ut dictum est supra quod nec etiam aliquis habitus in ipso sensu generatur ex sensibilibus comprehensione, sicut generatur aliquis habitus in intellectu ex comprehensione intelligibilium. |

Ad secundum patet similiter, quoniam | non est in nobis aliqua notitia praecedens notitiam principiorum, neque secundum actum neque secundum habitum, sed ipsa naturaliter est acquisita, et eam solum praecedit notitia potentialis innata, ut dictum est. |

Per idem patet tertium, quia eodem modo procedit. |

Quod arguitur in oppositum, quod homo naturaliter scire desiderat, ergo naturaliter novit aliquid, dicendum quod verum est, secundum modum tamen desiderii, quia desiderium sciendi naturale pure ex notitia potentiali pure qua homo in potentia natus est scire, et hoc ante omnem receptionem notitiae; desiderium autem naturale non pure, quod est quodammodo rationale, est ex aliqua actuali notitia habita imperfecte et in generali, qua desideratur partim naturaliter, partim rationaliter sciri in particulari et perfecte, ut patet ex

ARTICULUS I

praedeterminatis. |

QUAESTIO 12

UTRUM CONTINGAT HOMINEM AEQUE PRIMO SINE DISCURSU CUIUSLIBET REI SCIENTIAM ACQUIRERE

Circa duodecimum arguitur quod homo aequè primo sine discursu potest sibi notitiam singulorum acquirere.

Primo sic. Homo scientiam acquirit per speciem acceptam a sensu. Sed cuiuslibet speciem aequè primo natus est per sensum acquirere. Ergo etc.

Secundo sic. *«Sicut se habet sensibile ad sensum, ita intelligibile ad intellectum»*. Sed sensus aequè primo natus est acquirere notitiam cuiuslibet sensibilis et statim in ipso cognoscere quidquid est ipsi cognoscibile sine discursu. Ergo et intellectus aequè primo natus est acquirere notitiam cuiuslibet intelligibilis et statim | in ipso cognoscere quidquid est ipsi cognoscibile sine omni discursu.

Tertio sic. Quorum est eadem ratio agendi aequè primo nata sunt agere in proprium passibile, ut quilibet ignis ratione qua est calidus calefacere calefactibile. Eadem autem est ratio cuiuslibet vero, in quantum est, verum agendi in intellectum et movendi ipsum, quia non movet intellectum nisi sub ratione qua est verum. Ergo omne verum sub ratione veri movet intellectum aequè primo et ita sine discursu | natus est ipsum movere. Per hoc autem acquirit scientiam. Ergo etc.

Quarto sic. Facilius res quaelibet nata est procedere in actum ab habitu incompleto quam a privatione pura, quia plus distat | actus a privatione | quam a potentia. Sed anima est in pura carentia et privatione de se ad habitus | principiorum, ut dictum est, et est in potentia | et habitu incompleto per principiorum notitiam ad habitus conclusionum. Ergo facilius est transire a principiis ad cognitionem conclusionum quam per se ad cognitionem principiorum. Sed ad illam vadit statim naturaliter sine discursu, ut dictum est supra, ergo et | ad istam.

Contra. Eorum quorum unum natus est sciri et intelligi per alterum, et non e converso, non est intellectus aequè primo natus acquirere scientiam, sed unius primo et alterius per discursum ab uno in alterum. Sic se habent intellectus principiorum et conclusionum. Ergo non aequè primo, sed | per deductionem ab uno in aliud est intellectus natus acquirere eorum scientiam. |

QUAESTIO 12

<SOLUTIO>

Ad hoc primo intelligendum quod scientia sive notitia est de ultima hominis perfectione, et etiam cuiuslibet intellectualis naturae; unde et in ipsa consistit felicitas vitae contemplativae hominis, secundum PHILOSOPHUM X^o *Ethicorum*. Nunc autem ita est iuxta determinationem PHILOSOPHI II^o *De caelo et mundo* quod *res* omnino perfecta perfectionem suam habet a se ipsa *absque* omni *operatione* sua, *qua* acquirat *eam*. Et ideo Deus scientiam et notitiam omnem de se et rebus aliis habet absque omni acquisitione a rebus scitis et absque omni conversione super eas et absque omni discursu ab uno in alterum, sed uno simplici intuitu in se ipso aequae primo et simul omnia cognoscit, quia sua scientia non est causata a rebus.

Res vero quaelibet alia, quia perfectionem suam in scientia non habet de se, sed ab alio, quia habet eam a rebus, ideo eam non nisi sua operatione acquirit. Sed ea quae primo perfecto propinqua sunt in ordine | rerum operatione simpliciore eam acquirunt, quae vero sunt remotiora, operatione possibili. Et ideo angeli, qui primo sunt propinquiore, convertendo se ad principia scientiarum sibi innata, ex illis sibi statim scientiam acquirant omnium aliorum sine discursu causalitatis intelligendi unum ex altero, ut ex notitia unius tamquam prius noti deveniant in notitiam alterius | posterius ignoti, ut sic per unum investigent notitiam alterius, sed singula aequae primo intelligunt, non tamen uno simul intuitu simplici singula intelligendo, sicut facit Deus, sed unum post alterum, secundum quod super res se convertunt.

Homo autem, cum sit in ultimo ordine intelligentiarum post primum, qui non habet sibi aliquam notitiam innatam nisi in potentia solum, ut dictum est, primo sibi naturaliter acquirit notitiam principiorum incomplexorum sub esse incompletissimo et | confuso magis, secundum quod congruit humanae naturae, quia | *«innata est nobis via sciendi ex nobis notioribus»*, quae sunt confusa magis, procedendo *«in notiora naturae»* quae sunt distincta et determinata magis, et hoc per hunc modum. Homo enim sibi acquirit notitiam primo de terminis et quidditatibus rerum in generali primo cognoscendo et considerando quid dicitur per nomen. Ex quibus terminis componendo et dividendo secundo concipit prima principia complexa sub esse confuso, et secundum quod homo magis est dispositus in lumine naturalis intellectus et ingenii subtilitate, tanto perfectius prima principia, tam incomplexa quam complexa, ab initio concipit. Omnes tamen generaliter ab initio ea sub esse confuso concipiunt, licet unus magis

ARTICULUS I

distincte et minus confuse quam alter. Sed postmodum paulatim determinant ea omnes semper magis et magis. Secundum enim quod dicitur in principio *Physicorum*, «*pueri primo appellant omnes viros patres et mulieres matres; posterius autem*», cum vigoratur intellectus | eorum, «*determinant unumquemque horum*» et cognoscit puer patrem suum inter ceteros viros et matrem suam inter ceteras mulieres.

Et | haec confusa notitia principiorum in quantum huiusmodi habetur primo via sensus, memoriae et experientiae, quae consistit in singularibus, in quorum notitia non consistit ars aut scientia. «*Artifex enim universale et causam cognoscit, expertus autem cognoscit singulare tantum, et causam ignorat*», ut dicitur in | principio *Metaphysicae*, sed solum in eis consistit principium artis et scientiae. Principium dico | extra terminos artis consistens, antequam intellectus | ex ipsis universale abstrahat, quod existens «*in anima unum praeter multa est primum principium artis et scientiae*» intra terminos artis consistens, ut dicitur in fine *Posteriorum*, et tunc maxime quando intellectus in illo universali abstracto naturam et causam rei cognoscit et veritatem videt. Tunc enim primo determinatam notitiam principii habet. Sed tamen ante ipsam ab eius notitia confusa, tam in complexis quam in incomplexis, incipit rationis discursus, primo ad cognoscendum veritatem quidditatis terminorum in principiis incomplexis, quorum notitia determinata acquiritur inquirendo via definitiva ex confusa cognitione definiti in significato nominis eliciendo cognitionem eius determinatam in definitiva ratione. «*Indefinitum enim quiddam significat nomen, ut circulus. Definitio autem ipsius dividitur in singularia*», id est in singulas partes definiti, ut dicitur in | principio *Physicorum*.| Et tunc primo, quando termini sic cognoscuntur in definitiva ratione, intelligitur veritas et quidditas rerum, et ex ipsis concipitur intellectus | determinatus primorum principiorum complexorum, sicut prius eorum intellectus indeterminatus concipiebatur ex ipsis terminis cognitis | in confusa nominis significatione.

Et sunt principia ista definitive intellecta, tam complexa quam incomplexa, principia artis et scientiae infra terminos intellectualis cognitionis. Et de numero talium principiorum illa sunt prima principia simpliciter quae de primis et universalioribus magis concipiuntur, ut in incomplexis principiis primum principium et primus conceptus est conceptus entis, in quantum est ens, sub quo sunt omnes alii conceptus incomplexi, et ex ipso et post ipsum concipiuntur. Ex conceptu enim entis via deductionis ratione definitiva eliciuntur omnes alii conceptus incomplexi sequentes. Unde dicit AVICENNA in I^o *Metaphysicae* suae: «*Res et ens talia sunt quae statim imprimuntur in anima prima impressione,*

QUAESTIO 12

quae non acquiritur ex aliis notioribus se, et alia acquiruntur ab eis. Quae enim promptiora sunt ad imaginandum per se ipsa sunt ea quae communia sunt omnibus rebus, sicut res et ens et unum, et cetera. Et ideo non potest manifestari horum aliquid probatione quae non sit circularis, vel per aliquid quod non sit ignotius illis». Secundum quem modum a primo philosopho, cuius subiectum est ens in quantum ens, omnis alius artifex subiectum suum sumit tamquam aliquod ens particulare sub ente simpliciter. In complexis vero primum principium et primus conceptus est qui primo fundatur super conceptus entis in quantum ens est, et sic est ille «de quolibet affirmatio vel negatio et non simul de eodem», quia fundatur super entis intentionem in comparatione ad suum contrarium, quod est non ens, priusquam sub ente consideretur descensus ad aliquam partem entis. Sub hoc enim conceptu complexo sunt omnes alii conceptus complexi, et ex ipso et post ipsum concipiuntur. Ex conceptu enim huius principii «de quolibet affirmatio vel negatio et non simul de eodem» via deductionis ratione syllogistica eliciuntur omnes alii conceptus sequentes. Unde et ipso interempto omnes | alii interimuntur, ut vult PHILOSOPHUS in IV^o M e t a p h y s i c a e. | Et per ipsum omnes alii probantur et etiam primi conceptus principiorum syllogismi, ut patet per totum ex A n a l y t i c i s PHILOSOPHI.

Et ideo quicumque aliquid intelligit ens intelligit primo inter incompleta, nec de hoc aliquis dubitare potest, quia nihil potest intelligi nisi verum, et non est verum | nisi ens. Et illud principium «de quolibet affirmatio», etc., primo intelligit | inter complexa, secundum quod de hoc principio dicit PHILOSOPHUS IV^o M e t a p h y s i c a e: «Necesse | est ut illud principium sit valde manifestum et notum. Et de necessitate oportet concedere illud qui habet cognitionem entis». Unde dicit COMMENTATOR: «Quemadmodum oportet philosophum attribuere quodlibet genus entium alicui primo, et scire quid est illud primum», et hoc quoad incompleta, «ita oportet | ipsum, cum consideravit de primis propositionibus, attribuere omnia alicui primo». Unde PHILOSOPHUS contra negantes | eum exterius, quod tamen negari non potest quoad interius rationem, non procedit | per aliquod principium complexum, sed solum ex terminorum incomplexorum significatione, quae solum praecedit hoc principium complexum. Complexum enim primum nisi per incompleta cognoscere non possumus. Licet enim aliqua propositio sit per se nota, et primo quantum est de se, ut est illa cuius praedicatum includitur in subiecto, ignoranti tamen subiectum quid est et eius definitionem talis propositio non est nota. Ignorans enim quia homo est animal rationale mortale, potest ignorare an homo sit animal, et alius non, ut dicit ALGAZEL in L o g i c a sua. ‘Secundum interius rationem’ dico, quia qui scit quod homo est animal rationale mortale scit praedicatum includi in subiecto,

ARTICULUS I

cum dicitur «homo est animal». Unde dicit AVICENNA I^o Metaphysicae suae: «*Non potest cognosci quid | sit vere enuntiari, nisi de unoquoque eorum dicatur quia res est, vel aliquid, vel quid*», et PHILOSOPHUS VI^o Metaphysicae: «*Oportet non ignorare illud quod significat aliquid, quid sit secundum essentiam et definitionem, quia quaerere absque hoc est facere nibib*». Cognitio enim eius quod quid est est principium omnis cognitionis perfecte habendae de re, et ad ipsam omnis cognitio, tam in complexis quam in incomplexis, reducenda est. Unde illa propositio omnibus est per se nota cuius omnes terminos cognoscunt; illa vero solum sapientibus cuius terminos soli sapientes cognoscunt, secundum quod BOETHIUS libro De Hebdomadibus distinguit *duplex* genus communium conceptionum animi, quarum omnium prima est illa «*de quolibet affirmatio*» etc.

Ex qua via deductionis argumentatione demonstrativa eliciuntur omnes alii conceptus complexi, sive illorum qui sunt principia in aliquibus scientiis specialibus sive conclusionum ultimarum. Et ex hoc philosophus, cuius est considerare quidditates rerum, habet probare prima principia particularium scientiarum. Et per hunc modum quidquid homo cognoscit post simpliciter prima principia naturaliter cognita, via rationalis deductionis | cognoscit, non solum intelligendo unum post alterum, quod facit et angelus, sed etiam intelligendo unum ex altero, tamquam incognitum actu ex actu cognito, in quo illud est cognitum in potentia solum; qui modus cognoscendi angelo non convenit. Unde et modus intelligendi angelorum proprie intellectualis dicitur, hominum vero rationalis, secundum quod dicit DAMASCENUS De duabus naturis et una persona Christi: «*Operatio intellectualis est in angelis et omnibus incorporeis simplici oppositione sive apprehensione intelligentibus; rationalis vero in hominibus, qui ex anima et corpore | componuntur, non simplici, sed varia et ratiocinativa apprehensione intelligentibus*».

Et nota quia est ordo in illis posterius cognitis ab homine, quia quaedam posteriorum sunt in potentia priori in illo primo principio, tam incomplexo quam complexo, prius ex eo nata cognosci, | quaedam in posteriori nata posterius cognosci | ex eodem, et sic per ordinem usque ad ultima incomplexa | et ultimas conclusiones complexas. | Et secundum hunc ordinem debet procedere ordinata scientia in cognoscendo, sicut natura procedit ordinate in generando, quia non sunt omnia aequae primo in potentia in primis principiis, ut sciantur ex ipsis, sed necesse est quaedam sciri mediantibus aliis, sicut non sunt omnia aequae primo in potentia in materia, ut generentur ex ea, sed necesse est quaedam generari mediantibus aliis primo generatis. Et ideo

QUAESTIO 12

sicut natura non potest primo et immediate ex pane generare hominem, sed oportet ut primo ex pane generetur sanguis, et ex sanguine sperma, et tunc ex spermate homo, sic ratio ex primis principiis non potest scire immediate ea quae mediata sunt, sive complexa sive incompleta, sed oportet eam | discurrere per omnia intermedia priusquam mediata poterit per prima cognoscere. Et qui hunc ordinem non observant | in addiscendo modicum proficiunt, et saepius errant.

Absolute ergo dicendum quod homo non potest aequè primo devenire in notitiam singulorum, immo in quolibet genere principiorum oportet eum prius scire confusa quam determinata, et deinde ex confusis via discursus rationalis investigare determinata, vel definitive vel demonstrative, et hoc per ordinem semper primo cognoscendo principia incompleta, et deinde ex incompleta complexa, et tam in his quam in illis primo confusa et indeterminata, deinde distincta et determinata, ut dictum est. |

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod «speciem cuiuslibet rei aequè primo mens nata est acquirere», dicendum quod licet ita sit, non tamen nata est per illam intelligere omnia intelligibilia | de ipsa re aequè primo et | eodem modo, sed primo conceptus confusos primarum intentionum, et deinde ex determinatione definitiva conceptus earum determinatos, et per illos omnes conceptus sequentes, tam complexos quam incomplexos, secundum quod apparet in pueris, qui *primo omnes viros appellant patres*, ut dictum est. |

Ad secundum, quod «sensus aequè primo apprehendit omnia sensibilia», dicendum secundum dicta superius quod non est simile de sensu et intellectu, quia sensus simpliciter et superficialiter exterior rem per suam speciem apprehendit, sed non ipsam rem interior, neque ipsius | rei veritatem, in qua plura contingit discerni, | sicut facit intellectus, ut dictum est secundum AVICENNAM. Propter quod dicit PHILOSOPHUS: Qui unum dicit quodammodo multa dicit. Ad quae multa cognoscenda non potest intellectus humanus aequè primo, sed quaedam latent in potentia in quibusdam quae operatione rationis oportet in actum deducere, quod et facit non nisi discurrendo, quia propter debilitatem luminis intellectualis in homine non potest omnia illa statim percipere, quod potest angelus propter luminis intellectualis fortitudinem in ipso. Sed hoc poterit homo cum «*evacuatum fuerit in ipso quod ex parte est et fuerit sicut angelus Dei in caelo*». |

ARTICULUS I

Ad tertium, quod omnis veritas est per se obiectum intellectus, dicendum quod verum est, sed veritas primorum est obiectum eius per se et primo, aliorum autem per se, sed non primo, et ideo non potest cognosci veritas in illis nisi per discursum ex primis. |

Ad quartum, quod «facilius est animam transire ad notitiam conclusionum ex principiis quam per se ad notitiam principiorum», dicendum quod verum est quantum est ex parte recipientis, quia anima humana de se nihil habet habitus principiorum. In principiis autem in potentia habet habitus conclusionum. Sed quantum est ex parte luminis intellectus, quo fit iudicium veritatis et principiorum et conclusionum, secus est, quia aliquid sufficit ad percipiendum statim veritatem magis perspicuam quod non sufficit ad percipiendum | minus perspicuam. Quia ergo magis perspicua est veritas | principiorum quam conclusionum, ideo cum quidditas terminorum offertur intellectui, statim vis cognitiva naturalis percipit veritatem principiorum, licet non conclusionum, quarum etiam veritatem statim perciperet, si in tantum esset elevatum lumen cognoscitivum in hominibus quantum in angelis. Et sicut est de perceptione veritatis principiorum et conclusionum, ita est de generatione habituum, quia ex talibus actibus percipiendi primo habitus cognitivi concipiuntur, | et per actum intelligendi veritatem principiorum habitus principiorum, tam complexorum quam incomplexorum, concipitur in suo initio, et per talem actum frequentatum augmentatur et firmatur, et per actum ratiocinandi concipitur habitus conclusionis et per ipsum frequentatum habitus conclusionis augetur et firmatur. |

Est enim intelligendum quod aliud est principium, aliud est habitus principii, sicut aliud conclusio, aliud habitus conclusionis. Principium enim est quoddam opus intellectus, velut quaedam notitia actu intelligendi | lucens in intellectu tamquam verbum et conceptus eius, quo intellectus informatus in actu intelligendi perfectissime est in actu id quod intelligit, et perfectius quam ex ipsa specie quam habet de re. Et ideo ex illa notitia est perfecta | assimilatio intellectus ad intellectum, | ut intellectus, cum sit de se quodammodo omnia intelligibilia, «*actu tamen nihil eorum est antequam intelligat*», sicut dicit PHILOSOPHUS in III^o D e a n i m a. Quod intelligo ipsum dicere non tam propter speciem rei qua intellectus informatur, ut eliciat actum intelligendi, sed propter ipsam | notitiam quae lucet in intellectu ex actu intelligendi, licet neutro illorum informetur intellectus, | nisi cum est in actu intelligendi. Et est ista notitia conceptus quidditatis rei in intellectu simplici, propositionis vero in intellectu componente vel dividente, per quem habitus complexus vel incomplexus generatur et augmentatur,

QUAESTIO 12

quo utitur intellectus ad faciliter concipiendum principium postquam generatus est habitus in eo. Non est autem idem quod quis agit et quo agit, sicut habitu grammaticae complexam orationem quis constituit, quae non est habitus ipse, et similiter in operatione rationis ex habitu scientiae concipit quis conclusionem, quae non est ipse habitus. |

ARTICULUS II DE MODO SCIENDI

| Quia non contingit scire rem absque eo quod sciatur modus eius, viso de possibilitate sciendi et scientiam acquirendi, consequenter de modo sciendi videndum est. Ubi circa sciendi certitudinem sex sunt inquirenda: primum, si contingit hominem aliquid scire certitudinaliter; secundum, si quilibet homo certitudinaliter scit quaecumque ipse scit; tertium, si quilibet homo quaecumque scit scit ea aeque certitudinaliter; | quartum, si omnes homines quicumque sciunt eadem sciunt ea aeque certitudinaliter; quintum, si omnes homines apti sunt aeque certitudinaliter scire; sextum, | si omnia scibilia nata sunt aeque certitudinaliter sciri. |

QUAESTIO 1

UTRUM CONTINGAT HOMINEM ALIQUID SCIRE CERTTUDINALITER

Circa primum arguitur quod non contingit hominem aliquid scire certitudinaliter.

Primo sic. AUGUSTINUS dicit 83 *Quaestionum* q.^e 9^a: «*A sensibus corporis non est expetenda sinceritas veritatis*». Sed homo per se nihil scit nisi ex sensibus, quia ab ipsis omnis nostra cognitio ortum habet, I^o *Metaphysicae*, II^o *Posteriorum*, et III^o *De anima*. Ergo homo non potest scire sinceritatem veritatis. Nihil autem scitur certitudinaliter nisi sciendo sinceram veritatem, quia non est scientia nisi ex veritatis cognitione. Ergo etc.

Secundo sic. AUGUSTINUS ibidem: «*Nibil est sensibile quod non habeat simile falso, ita ut internosci non possit*». Veritas autem certitudinaliter sciri non potest nisi «*notis dissimilibus falso*», ut dicitur in II^o *De Academicis*. Ergo per sensibile nulla veritas | potest cognosci certitudinaliter, sed homo non cognoscit | nisi per sensibilia. Ergo etc.

ARTICULUS II

Contra. Habens certam regulam sciendi, in qua non contingit eum errare, potest certitudinaliter scire, quia potest scire in illa et per illam, et ipsa fallere non potest. Talis autem regula est veritas primorum principiorum. Secundum enim PHILOSOPHUM IV^o *Metaphysicae*, «*principium est valde manifestum et notum. Homines autem non decipiuntur nisi in eo quod nesciunt*». Hoc autem non habet dubitationem. Talem autem regulam habet in se homo naturaliter acquisitam, ut patet ex praedeterminatis. Ergo etc. |

<SOLUTIO>

Dicendum est hic ex praedeterminatis quod cum hominem contingit habere notitiam primorum principiorum, quae sunt notissima in sua veritate et certissima, ita quod in illis non contingit eum errare, et ex illis via rationalis deductionis contingit eum scire posteriora, in quibus similiter non contingit errare postquam intellectus videt ea reducta in principia, et talis notitia certa est, necessario est ponendum quod contingit hominem non solummodo scire, quod quodammodo concedebant Academici, sed et certitudinaliter scire, quod omnino negabant, et hoc etiam secundum communem hominis modum cognoscendi in statu huius vitae.

Verum intelligendum quod certa notitia duplex est secundum duo quae faciunt notitiam certam, quorum unum est quod sit libera ab omni errore, alterum quod sit in aperta | veritatis | visione. Primo modo notitia est certa qua ita veritatem cognoscimus, quod nequaquam de ea dubitare possumus; secundo modo illa est certa notitia qua veritatem clare videmus in luce | intellectuali ad modum quo videmus visibile in luce solari. Primo modo certam notitiam contingit hominem | hic habere secundum dictum modum sciendi ex primis principiis speculabilium, ad quem potest attingere actione praecisa naturalium virium animae, aspiciendo ad solum exemplar creatum abstractum a re, si tamen ad hoc sufficiat illud exemplar sine illustratione exemplaris aeterni; secundo modo | nequaquam nisi aspiciendo ad exemplar increatum, quod est causa rei secundum modum praedeterminatum. Cognitio enim quae acquiritur per phantasmata non potest esse, quin quantum est de se aliquo modo sit quodammodo obscurata, secundum quod dicit AUGUSTINUS III^o *De Academicis*: «*Istae imagines sunt quae consuetudine rerum corporalium nos etiam cum veritas tenetur et quasi in manibus habetur, decipere atque illudere moliuntur*». Unde per species intelligibiles puras, quia non sunt nisi idolum, non veritas ipsa, hominem

QUAESTIO 1

non contingit hic secundum communem statum viae sinceram et liquidam sive claram veritatem vel etiam qualemcumque scire nisi aspiciendo ad exemplar lucis increatae, ut praedeterminatum est, secundum quod dicit AUGUSTINUS loquens de huiusmodi speciebus puris XII° De Trinitate: «*Rerum transeuntium stant utique intelligibiles, non sensibiles rationes, ad quas mentis acie pervenire paucorum est, et cum pervenitur quantum fieri potest, non in eis manet ipse perversor, sed velut acie ipsa reverberata repellitur.*»

Et adhuc aspiciendo ad exemplar increatum sicut ad rationem intelligendi tantum, non sicut ad obiectum intellectum, secundum quod supra determinatum est, non contingit hominem perfecta certitudine cognoscere veritatem. Et quia secundum communem statum non contingit scire aliquid aspiciendo ad exemplar increatum ut ad obiectum in praesenti vita, sed solum in futura, et ideo dicit AUGUSTINUS IX° De Trinitate in principio quod «*certa cognitio nobis non perficitur nisi post hanc vitam.*» De qua certitudine dicit XV° De Trinitate: «*Ibi veritatem sine ulla difficultate videbimus, eaque clarissima et certissima perfruemur, nec aliquid quaeremus mente ratiocinante, sed contemplante cernemus.*» Unde ex hac obumbratione vitae | praesentis frequenter contingit quod homo qui certe scit nescit quanta certitudine sciat. | Propter hoc dixit quidam: «*Hoc solum scire me scio, quod nescio*»; et e converso qui nescit scire se credit, secundum quod dicit CHRYSOSTOMUS: «*Adhuc multa nescimus, et illa quidem didicisse nos credimus*», et PHILOSOPHUS in VII° Ethicorum: «*Quidam opinantium non dubitant, sed aestimant certe scire.*» |

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in | oppositum, quod «*a sensibus non est expetenda | sincera veritas*», dicendum quod verum est quantum aspiciendo ad exemplar lucis increatae, et hoc non quia ipsa veritas in se in aliquo sit impura, sed quia in nobis sit impura quando est phantasmatis obumbrata, sicut lux solis oculis fumo caligantibus impura quodammodo est, tamen certitudo aliqua veritatis ex sensibus haberi potest, ut dictum est, non stando in sensibus et eorum iudicio, quia facillime decipiuntur sensus, sed per intellectum intelligibilem speciem quantum possibile est depuratam a sensibus abstrahendo, et ibi penes se iudicando. Unde ad litteram AUGUSTINI illo dicto suo hortatur nos, ne stemus in iudicio sensus, sed abstrahamus nos quantum possumus a sensibus, et coniungamur intelligibilibus, secundum quod dicit concludendo | in fine quaestionis: «*quapropter*», inquit, «*saluberrime*

ARTICULUS II

admonemur averti ab hoc mundo, qui profecto corporeus est atque sensibilis, et ad Deum et ad veritatem, quae intellectu et interiore | mente capitur, quae non habet imaginem falsi a qua discerni non possit, tota alacritate converti. |

Per haec patet ad secundum, quod | «omne *sensibile habet simile falso*», dicendum quod verum est quantum est ex parte speciei, in quantum est sensibilis et phantastica maxime in stando in sensu, qui non potest similium iudicare dissimilitudinem. Transcendendo tamen sensus ratio bene diiudicat illam, et verum a falso discernit. Unde AUGUSTINUS in tota illa quaestione nihil intendit nisi quod imagines sensibilibus ut sensibiles quasi omnino communes sunt vero et verisimili sive falso, secundum quod assimilantur species quas visus capit ab auro et ab aurichalco, quae discerni sensus iudicio nequeunt. Unde et somniantes de speciebus quae eis apparent iudicant quod sunt res ipsae. Quare cum non potest percipi verum nisi a falso discernatur, iudicium verum non est constitutum in sensibus. Et ideo concludit in fine: «*Quamobrem salubriter admonemur*», etc., ut dictum est. |

QUAESTIO 2

UTRUM QUILIBET HOMO CERTITUDINALITER SCIAT QUAECUMQUE IPSE SCIAT

Circa secundum arguitur quod non quilibet homo scit certitudinaliter quaecumque ipse scit.

Primo sic. AUGUSTINUS dicit 83 Quaestionibus: «*Comprehendi non potest quod sine intermissione mutatur*», quia antequam ratio iudicium potest complere, iam non est res ipsa | quod fuit. Naturalia sunt huiusmodi, ut dicit AUGUSTINUS ibidem. Ergo comprehendi non possunt. Quod tale est non potest certitudinaliter sciri. Quamvis ergo contingit hominem | naturalia scire, ut dictum est supra, non tamen contingit eum scire ea certitudinaliter.

Secundo sic. Illa quae tantam habent diversitatem, | ut homo vix sibi in eis potest cavere | ab errore, non contingit hominem scire certitudinaliter. Moralia et legalia omnia sunt huiusmodi secundum PHILOSOPHUM in I^o Ethicorum, et tamen contingit ea hominem scire. Ergo etc.

Tertio sic. PHILOSOPHUS dicit II^o Metaphysicae: «*Dispositio intellectus nostri apud illud quod est valde in natura manifestum similis est dispositioni oculorum vespertilionis ad lucem solis*». Oculus autem vespertilionis de luce solis non potest habere certam notitiam, quia non sufficit eam

QUAESTIO 2

inspicere; ergo nec intellectus noster de illis quae in natura sua sunt valde manifesta. Illa secundum COMMENTATOREM ibidem sunt divina et supernaturalia. Ergo quamvis contingit hominem ea scire, non tamen contingit eum ea scire certitudinaliter.

Contra. Non contingit | hominem aliquid | scire nisi de quo habet veritatis notitiam, et in quantum veritatem noscit in tantum scit. Sed habendo notitiam veritatis non contingit errare de re cuius est, quia non errat nisi falsitate deceptus. Sed ubi non contingit errare, scit homo certitudinaliter. Ergo non contingit hominem aliquid scire quin sciat illud certitudinaliter. |

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc quod secundum PHILOSOPHUM scire non est aliud quam certam habere veritatis notitiam. Scientia ergo cuiuscumque sit aut certa est aliquo genere certitudinis aut scientia non est. Unde et ACADEMICI, quia omnia credebant esse incerta et tantis errorum tenebris involuta, ut de nullo posset homo certam notitiam habere, scientiam negabant omnino, ut dictum est supra. Unde cum, ut ibidem contra ipsos obtentum est, hominem possibile est scire et percipere notitiam veritatis, absolute concedendum quod homo quaecumque scit certitudinaliter scit, quia veritas cum menti apparet, de ipsa mens ipsa se ipsam certificat per naturale iudicium, quod penes se habet, de quo dictum est supra, licet aliquando non nisi magno labore homo ad hoc devenire potest ut sibi appareat. Propter quod dicit | AVICENNA: *«Unaquaeque res certitudinem suam habet, qua est id quod est»*. Unde si homines in omnibus iudicium rationis attenderent et exspectarent, numquam in certificando errarent. Nunc autem quia saepius homines iudicium rationis opinando secundum ea quae apparent praeveniunt, aliquando incertis | tamquam certis adhaerent, et scire se credunt, cum solum opinionem | habeant, ut dicit PHILOSOPHUS VII^o Ethicorum. |

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod naturalia sunt in continuo fluxu, dicendum quod verum est in ipsis particularibus, non autem in universalibus abstractis ab ipsis, quae manent in mente, secundum quae de ipsis est certa scientia, qualitercumque particularia mutantur, ut dictum est supra. Non enim est scientia de rebus in quantum sunt extra

ARTICULUS II

in effectu, sed in quantum natura et quidditas earum a mente est comprehensa, | sive res sint extra sive non, ut infra dicitur.

Ad secundum, quod moralia in maxima sunt varietate, dicendum quod licet moralia et legalia propter condiciones et circumstantias particularium in summa sunt varietate, ut quod modo statutum est ad medelam in proximo vergat ad noxam, ut non possint statui in eis aliqua principia universalia certa certitudine et apud omnes observanda, dico proxima, prima tamen principia operandorum remota certa sunt semper et infallibilia et semper et ubique eadem manentia, ut quod «unicuique reddendum est quod suum est, cum est in statu recipientis» et quod «nemini iniuriandum est», et cetera huiusmodi, ex quibus pro tempore et loco valiturae certae regulae vivendi possunt institui, quae tamen postmodum variatione temporum et locorum variari poterunt. De quibus intendit PHILOSOPHUS illud supra dictum I^o *Ethicorum*. Variari autem poterunt illae regulae secundae manentibus primis regulis invariabilibus, ex quibus aliae de novo institui possunt, similiter pro tempore et loco valiturae. Per quas etiam sapiens certam habet operandorum scientiam.

Unde quod dicit PHILOSOPHUS quod moralia «*videntur esse sola legis*» institutione, hoc secundum COMMENTATOREM verum est quantum ad communem *aestimationem et suspicionem* hominum, qui prima principia operandorum, ex quibus alia instituuntur, non percipiunt. | Praecepta enim moralia secundaria, quae sunt regulae proximae operandorum, instituta sunt a iustitia quae est | legis positiva, | cui de quibusdam non contingit universaliter recte dicere, nec tamen peccatum hoc est in lege, nec in legislatore, | sed in natura rei. Materia enim operabilium et eius natura talis est quod variabilis est secundum loca et tempora et personas. Unde illa iustitia quae dicitur legis positiva, quae in principiis proximis operandorum consistit, superior est iustitia quae appellatur legis directiva, quae consistit in primis principiis operandorum, et frequenter mutat quod statutum est a legis positiva. | Verbi gratia, iustitia quae appellatur legislativa dicit quod «omni deponenti reddendum est depositum», ubi quandoque accidit inconveniens in particularibus quae | legislator non consideravit, qui non potuit omnia particularia considerare, ut quando depositor fur esse perpenditur vel in furiam versus. In istis enim casibus deponenti non est reddendum depositum, puta, si sit gladius quo furiosus velit se ipsum occidere. Unde tunc supervenit legis directiva corrigens et complens legis positivam et excipit furem et furibundum, quos legislator excepisset, si advertisset, quia non fuit intentionis suae hos includere, secundum quod haec omnia determinat PHILOSOPHUS V^o

QUAESTIO 2

Ethicorum ante finem. Propter quod dicit in III^o Politicae: «*Quaecumque | non videtur posse determinare | lex, neque homo potest utique nota facere. Sed universale lex instituit; reliqua iustissima | sententia iudicare habent principes et disponere*». Et sic patet plane quod quantum in moralibus est scientiae, tantum in eis est certitudinis. |

Ad tertium, quod «*intellectus noster se habet ad manifestissima naturae sicut oculus vespertilionis ad lucem solis*», dicendum quod quantumcumque | homo non habet, nec modicum notitiae clarae de supernaturalibus, sicut nec vespertilio | de sole, tamen pro eo tantillo quod notitiam habet de eis bene potest habere notitiam certam sine omni scrupulo erroris. Non enim solum est certitudo notitiae, quia clara, sed quia ab errore libera, ut dictum est supra quaestione proxima. Unde vespertilio certa potest de sole esse quia lucet, licet hunc clare videre non potest. |

QUAESTIO 3

UTRUM QUILIBET HOMO QUAECUMQUE SCIT SCIAT EA AEQUE CERTITUDINALITER

Circa tertium arguitur quod quilibet homo quaecumque scit scit ea aequae certitudinaliter.

Primo sic. Scientiae certitudo est ex certitudine medii per quod res scitur, secundum quod certior habetur scientia medio propter quid quam medio quia. Quae ergo sciuntur uno et eodem medio semper aequaliter certo aequae certitudinaliter sciuntur. Tali medio novit homo quaecumque novit, quia notitia primorum principiorum. Ergo etc.

Secundo sic. Certitudo scientiae est ex notitia veritatis, pure intellectui se praesentantis, ut dictum est. Sed aequae pure cuiuslibet rei scitae veritas se repraesentat intellectui, quia secundum AUGUSTINUM 83 Quaestionum q.^e 1^a: «*veritas numquam falsitatem patitur*» et impura reddi non posset nisi ex falsitatis commixtione, secundum quod dicit AUGUSTINUS in libro De Mendacio: «*Veritas non nisi mendacio violatur*». Ergo etc.

Contra. Secundum PHILOSOPHUM in principio Ethicorum «*certum non similiter in omnibus quaerendum est*». Hoc autem non est, nisi quia inveniri non | potest. Ergo etc. |

<SOLUTIO>

ARTICULUS II

Ad hoc dicendum secundum praedicta quod certitudo scientiae de
| re scita non est, nisi quia clara est veritatis notitia aut ab errore segura.
Nunc autem haec duo non aequaliter concurrunt in singulorum notitia
quae homo novit. Idcirco dicendum absolute quod non contingit eum
aeque certitudinaliter nosse quaecumque novit, dico in statu vitae huius.
Immo quaecumque novit, a primis scibilibus usque ad ultima, necesse
est eum omnia illa scire secundum gradus certitudinis, sicut secundum
gradus ordinis de quibus dictum est supra. |

Ad cuius intellectum considerandum quod loquendo de certa
notitia | hominis ex parte hominis cognoscentis, de qua est quaestio, si
comparemus certitudinem securitatis ab errore ad certitudinem claritatis
in visione, sic multo certius fidelis novit ea quae sunt fidei, adhaerendo
auctoritati primae veritatis, quam ea quae sunt cognita ab ipso naturali
ratione, quantumcumque sciat ea medio claro demonstrationis, ita quod
facilius posset trahi in dubium de conclusione scita medio
demonstrationis, quam de eo quod fide tenet. | In illis autem de quibus
habemus | certitudinem scientiae ex clara notitia veritatis non contingit
hominem unum aequali certitudine scire singula, neque in diversis
generibus scientiarum neque in eodem genere scientiae.

«Sunt autem», secundum PHILOSOPHUM, «tres modi *philosophiae*
essentiales, naturalis, mathematicus, et divinus», in quibus homo secundum
gradus certitudinem habet scientiae, quia | maximam in mathematicis,
tum quia sunt de rebus existentibus in sensibilibus et nostra cognitio a
sensu incipit, tum quia sunt de rebus quantum est de se
intransmutabilibus, tum quia secundum COMMENTATOREM principio
P H Y S I C O R U M «ea quae in illis sunt priora et notiora sunt *simpliciter,*
priora et | notiora *sunt* et nobis». Minorem vero certitudinem habet in
naturalibus, quia licet sunt de rebus nobis sensibilibus, tamen de summe
mutabilibus, in quibus non sunt eadem priora et notiora nobis quae
simpliciter, sed a posteriori simpliciter incipit in eis omnis nostra
cognitio. Et ideo dicit COMMENTATOR super II^{um} M E T A P H Y S I C A E
quod «*demonstrationes mathematicae sunt in primo ordine certitudinis et*
demonstrationes naturales sequuntur eas». Minima vero homini est certitudo
in divinis, tum quia sunt de omnino abstractis et elongatis a sensu, tum
quia ad illorum notitiam non ascendimus | nisi per sensibilium
manuductionem. Et ideo dicit PHILOSOPHUS I^o M E T A P H Y S I C A E
de sua scientia divina secundum unam litteram: «*Notiores omnes hac, potior*
autem nec una est».

In eodem autem genere scientiae similiter numquam contingit duo
aeque certitudinaliter | hominem scire, quia nostra scientia, eo quod
discursiva est, non cognoscit nisi posteriora ex prioribus usque ad

QUAESTIO 3

primum seminarium scientiae animae innatum, quo primo cognoscit naturaliter primum principium incomplexum, ut primum conceptum entis, et deinde posteriores usque ad ultima composita; et mediantibus incomplexis cognoscit prima complexa, et ex illis posteriora usque ad ultimas conclusiones, ut dictum est supra. Et sic in unoquoque genere sciendi semper certior est cognitio principiorum quam principiatorum, et tanto certius unumquodque cognoscitur quanto cognoscitur mediante principio priori, et tanto minus certe, quanto cognoscitur mediante principio posteriori, quia semper clarius virtus primi principii cognitivi relucet in sibi proximiori quam remoto distantia ordinis naturalis, sicut oculus corporis tanto certius videt aliquid, | quanto sibi videt propinquius in distantia debita locali, et tanto minus certe, quanto videt eum remotius ultra debitam videndi distantiam. |

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod «eodem medio omnia sciuntur», dicendum quod licet mediante primo principio omnia sciuntur, non tamen omnia per eandem immediationem se habent ad ipsum, et ideo certius sciuntur per ipsum proxima et immediata quam remotiora. Adhuc etiam dicendum quod non omnia ex principiis primis naturaliter scitis ab homine nata sunt sciri, sed solum illa quae subsunt naturali rationi, ut infra dicitur. |

Ad secundum, quod «veritas semper pura est», dicendum quod in re ipsa semper pura est, non tamen ex parte cognoscentis. In quantum enim nobis praesentatur sub specie sensibilibus abstracta a phantasmatibus, in qua cum similitudine veri similitudo falsi commixta est, ut dictum est supra, ut per hoc ipsa similitudo | possit nos decipere, ut falsum credamus verum, ut aurichalcum aurum, et e converso, ut sic quandoque omnino verum non intelligamus et privemur omnino scientia, secundum quod dicit AUGUSTINUS 83 Quaestionibus: «*Omnis qui fallitur, in eo quod fallitur | non intelligit*». Unde secundum quod tale quid magis et minus natum est contingere in notitia scibilium quorundam quam aliorum, secundum hoc quaedam nata sunt magis certitudinaliter sciri quam alia, et minime certe ea in quibus maxime nata est fieri deceptio talis, | ut sunt naturalia, quorum scientia per sensus nobis maxime generatur, a quibus facillime sumit intellectus deceptionis occasionem, secundum quod dicit AUGUSTINUS III^o De Academicis: «*Veritatem obtinere nemo potest, si falsis imaginibus deceptus comprehensionis modos laxaverit. Sunt enim istae imagines quae consuetudine*

ARTICULUS II

rerum corporalium nos etiam, cum veritas tenetur et quasi in manibus habetur, decipere aut illudere moliuntur. Per hunc ergo modum in rebus in quibus verisimile contingit apprehendere cum vero, veritas falsitatem bene compatitur, quantum est ex parte intelligentis. Quod autem dicit AUGUSTINUS, quod *«veritas falsitatem non compatitur»*, verum est ex parte rei intellectae, et maxime in illo quod est veritas | per essentiam, de quo AUGUSTINUS ibi loquitur ad litteram, probans quod anima, quia secum quodammodo compatitur falsitatem, non est veritas per essentiam, sed participatione. |

QUAESTIO 4

UTRUM OMNES HOMINES QUICUMQUE SCIUNT EADEM SCIANT EA AEQUE CERTITUDINALITER

Circa quartum arguitur quod omnes homines quicumque sciunt eadem sciunt ea aeque certitudinaliter.

Primo sic. Quicumque rem aequaliter intelligunt aeque certitudinaliter eam sciunt, quia ex modo intelligendi rem procedit certitudo | scientiae de ea. Sed quicumque aliquid intelligunt aequaliter illud intelligunt, secundum quod dicit AUGUSTINUS 83 *Quaestionibus*: *«Non est dubium nec posse rem alium alio plus intelligere»*. Ergo etc. |

Secundo sic. Certitudo scientiae consistit | in notitia veritatis, sed notitia veritatis non contingit diversis secundum magis et minus, quia est *«adaequatio quaedam rei et intellectus»*, et ita quaedam aequalitas. Aequalitas autem magis et minus non suscipit. Ergo etc.

Contra est quia tunc docens et discens aequaliter scirent, quia discens aequaliter novit id quod novit docens, ut dictum est supra. Consequens falsum est, quia licet motum habeat aliquid eius quod habet motor, *«non tamen habet ipsum eodem modo quo habet motum»*, ut dicit COMMENTATOR super IX^{um} *Metaphysicae*. |

<SOLUTIO>

Ad hoc dicendum quod *«dispositio intellectus de re intelligibili est sicut dispositio sensus de re sensibilis»*. Propter quod PHILOSOPHUS II^o *Metaphysicae* *«assimilavit virtutem intellectus in comprehendendo secundum certitudinem intelligibilia abstracta quae sunt summe*

QUAESTIO 4

intelligibilia *debilissimo visui in comprehendendo maxime* | visibile, *scilicet solem*, ut ibi dicit COMMENTATOR. Sicut ergo alterum altero contingit unam et eandem rem certius videre oculo corporis, sic contingit alterum altero unam et eandem rem certius videre oculo mentis, et per hoc eam certius scire, et hoc duplici | de causa accepta ex parte videntis: una ex parte dispositionis naturalis in ipso, altera ex parte dispositionis acquisitae ab eo. Ex parte dispositionis naturalis, quia unus habet oculum intellectus altero clariorem, perspicaciorem et limpidiorem. Et ideo habet maiorem virtutem in se limpidius et perspicacius veritatem rei conspiciendi quam alter, secundum quod de hoc infra dicitur, et ex hoc certius sciendi eam, ut dictum est, sicut habens oculum carnis clariorem et limpidiorem et perfectiorem in se limpidius et clarius videt visibile corporale quam alter. Ex parte dispositionis acquisitae causa est | quia | unus magis exercitatus est circa inspectionem veritatis rei scitae quam alter. Et ideo de notitia eius habet habitum magis confirmatum quam alter, et condiciones particulares quidditatis rei distinctius | videt quam alter, et ex hoc certius et discretius eam videt quam alter, secundum quod ille qui frequenter vidit imaginem aliquam sub imitatione ad archetypum perfectius secundum unamquamque particulam videt in quo eum perfecte imitatur, et in quo deficit, quam ille qui solo aspectu advertit quia est vera rei imitatio ad eius imaginem facta. |

<AD ARGUMENTA>

Ad primum quod «*non contingit alium alio* | *plus* vel minus *intelligere*», dicendum quod ‘plus vel minus intelligere’ potest determinare actum intelligendi vel respectu rei intellectae. Sic non potest eadem res secundum plus vel minus intelligi a diversis, quia non habet esse in se ipsa secundum plus vel minus in veritate, sicut neque in esse, quare neque etiam in cognitione. «*Quod enim significat essentiam cuiuslibet, hoc finis cognitionis et esse res*», ut dicitur V^o M e t a p h y s i c a e. Essentia autem rei neque intenditur in se neque remittitur. Quia igitur res ipsa quaelibet uno et simplici modo se habet in sua veritate, quicumque in ea intelligit aliquid plus vel minus aliter rem intelligit quam est, et ita falso, quare nec eam tunc intelligit sicut argumentum dicit, quia non contingit intelligere nisi verum. Vel potest li ‘magis et minus intelligi’ determinare actum intelligendi respectu ipsius intelligentis. Sic bene contingit | eandem rem unum plus intelligere quam alterum, et ita certius. Sed hic subdistinguendum quod rem eandem plus vel minus intelligere ex parte

ARTICULUS II

intelligentis potest intelligi intensive vel extensive: extensive hoc contingit quando unus particulas | quidditatis et essentiae rei quas ratio distinguit distinctius intelligit | quam alter; intensive quando unus limpidius videt id quod est veritatis rei quam alter, in quantum profundius visu intellectuali unus eam magis penetrat quam alter, et minus potest eum impedire obnubilatio phantasmatum. Et utroque modo contingit unum altero magis et certius aliquid intelligere. |

Ad secundum, quod *«veritas est adaequatio»*, dicendum quod verum est, quia quantum veritas manifestatur cuique, tantum eam intelligit. | Hoc tamen non impedit quin uni plus manifestetur quam alteri, et eam plus intelligat. Et licet *«veritas ipsa est adaequatio intellectus et rei intellectae»* in quolibet intelligente, non tamen est adaequatio plurimum intellectuum inter se. Sicut enim aequalitas est tanta binarii ad binarium quanta quaternarii ad quaternarium, non tamen est aequalitas binarii ad quaternarium, sic tanta est adaequatio rei et intellectus in minus apprehendente veritatem rei | quanta in magis apprehendente, licet non adaequatur apprehensio unius apprehensioni alterius. |

QUAESTIO 5

UTRUM OMNES HOMINES APTI SINT AEQUE CERTITUDINALITER SCIRE

Circa quintum arguitur quod omnes homines apti sunt aequae certitudinaliter scire.

Primo sic. Ubi causa non recipit magis et minus, nec effectus, quia non intenditur effectus nisi per intensionem suae causae, ut nigredo per calidum, similiter neque remittitur. Causa quare homo est sciens est quia est rationalis. Sed rationale esse non suscipit magis neque minus, quia est differentia hominis specifica *«substantialis, quae non recipit | magis vel minus»*, secundum PHILOSOPHUM in *P r a e d i c a m e n t i s*. Ergo etc.

Secundo sic. Ubi non est contrarium, neque magis vel minus, quia contrarium est causa eius quod est magis vel minus. Ut enim determinatur in *S e x p r i n c i p i i s*, *«albius est quod est nigro*

QUAESTIO 5

impermixtus». Sed scientia non habet contrarium — propter quod etiam vult PHILOSOPHUS in *Topicis* quod «*delectationi per scientiam | nihil est contrarium*» — quare neque scientiae certitudo, | quia in tantum est scientia, in quantum est certa, ut dictum est supra. Quare et certitudo scientiae magis et | minus non potest suscipere. Non ergo contingit unum hominem certius scire quam alterum.

Contra est quod non omnes sunt aequae praeconi ad discendum, ut patet ex experientia, quia diversi non possunt aequaliter proficere cum labore aequali, quare neque sunt aequae praeconi ad scientiam capiendum, et ideo neque ad certitudinaliter sciendum, cum ab eodem est scientia et certitudo scientiae. |

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc iuxta dictum in praecedenti quaestione quod cum certitudo scientiae ad intellectum se habet ad modum certitudinis visus ad oculum, sicut non sunt omnes homines apti aequae certitudinaliter oculo carnis videre visibile, sic non omnes aequaliter apti sunt intellectu intelligere intelligibile.

Et hoc contingit homini ex duplici causa, una naturali, altera accidentali. Causam naturalem assignant aliqui ex parte intellectus secundum se, et hoc dupliciter: uno modo non accipiendo occasionem bonitatis intellectus ex parte corporis, dicendo absolute, nihil discernendo ex parte corporis, quod unus meliorem sortitur animam quam alter, et secundum hoc excellit | in perspicacia intellectus et aliis viribus animae, secundum quod quidam haeretici dicentes Christum fuisse purum hominem dicebant ipsum sortitum fuisse meliorem animam aliis et ideo omnes excessisse in scientia et virtutum operatione, ut recitat AUGUSTINUS in libro *De haeresibus*. | Alio modo alii ponunt idem, accipiendo tamen occasionem quod unus sortiatur meliorem intellectum alio | ex parte corporis, dicendo quod quanto corpus melius est dispositum et praeparatum ad animae susceptionem, tanto meliorem sortitur animam et melius dispositam | in omnibus viribus suis naturalibus, quia, ut dicunt, forma | recipitur secundum capacitatem ipsius materiae, et sic, ut dicunt ambo, unus | sortitus est animam subtiliorem ex natura sua quam alius, propter quod unus aptus est certius scire quam alter, et quod ideo dicat PHILOSOPHUS in *II^o De anima* «*molles carne aptos mente*», quia carnis mollities apta est susceptioni animae intellectus subtilis, non sic autem carnis durities.

Hoc habet magnam dubitationem in se, de qua alias debet esse

ARTICULUS II

sermo, sed quantum ad praesens nihil; tamen circa hoc determinando magis apparet esse verius ponendum quod hoc non contingit ex dispositione animae in se, sed ex dispositione corporis et virium inferiorum quibus intellectus utitur ad suam operationem quoad specierum receptionem, ut quanto organum phantasiae et aliarum virium sensitivarum organa melius sunt disposita, ut imagines puriores, stabiliores, ordinatiores recipiant et conservent, quae per hoc habiliores sunt ut species intelligibiles ab eis abstrahantur puriores, stabiliores et ordinatiores, tanto intellectus | mediantibus illis certius et limpidius intelligat, et e converso, ut quanto ex indispositione organorum imaginationes impuriores, fluxibiliores et inordinatiores recipiant et conservent, a quibus habent abstrahi species intelligibiles impuriores, fluxibiliores et inordinatiores, tanto intellectus mediantibus illis minus certe et obtusius intelligat. | Unde, ut vult PHILOSOPHUS | VII^o Physicorum, indistinctio, inordinatio et perturbatio motus specierum in phantasia multum actum intelligendi disturbant, ut ex hoc infantes addiscere non possint neque | iudicare consimiliter sensibus. «*Multa enim*», ut dicit, «*turbatio et motus | est circa eos, sed in sedendo et quiescendo anima prudens fit et sciens*».

Et ista perturbatio aliquando sedatur a natura per aetatem, secundum quod dicitur in principio Physicorum: «*Pueri appellant omnes viros patres et mulieres matres; posterius autem discernunt unumquodque*»; cum scilicet per aetatem vigoratur intellectus, non in se, | sed in viribus inferioribus, cognoscit patrem inter ceteros viros et matrem inter ceteras mulieres; aliquando vero sedatur per consuetudinem et exercitium virtutum moralium, maxime castitatis, et per studium in bonis disciplinis.

Unde qui ex naturali complexione et organorum sensibilibus dispositione, et virtutum moralium exercitio et bonarum artium studio habent motus passionum sedatos et species in imaginativa puras, quietas et ordinatas, maxime subtiles sunt in actu intelligendi, et certiores nati sunt acquirere de singulis scientiam quam ceteri, qui non sunt tales. Unde e contrario sustinentes motus passionum, vel ex malitia naturae vel ex vitio morum, et segnes ad bona studia, vel pravis studiis imbuti, maxime a pueritia, minime possunt scientiae alicuius certitudinem acquirere. Et ita in hoc quod quidam segnes sunt plus ad discendum quam alii, et quidam melioribus studiis et exercitiis imbuti a iuventute quam alii, consistit causa accidentaliter quod non omnes aequae apti sunt ad certitudinaliter sciendum.

Unde inter alia impedimenta cognoscendi veritatem quae PHILOSOPHUS ponit II^o Metaphysicae, «*primum et fortissimum*», |

QUAESTIO 5

sicut dicit COMMENTATOR, «*est prava consuetudo ex pueritia*». Isti enim prave educati a pueritia secundum PHILOSOPHUM dicere semper volunt «*quod assueti sunt dicere, et iudicant inconveniens quod extra illud est, quia id ad quod consueti sunt maxime est eis applicabile animo*». Unde dicit AUGUSTINUS III^o De | doctrina christiana: «*Si animum occupaverit alicuius erroris opinio, quidquid aliud asseruerit scriptura, figuratum arbitrantur*».

Secundum vero impedimentum post hoc est segnitias studii. Tales enim, ut dicit PHILOSOPHUS ibidem, «*odiunt sermonem perscrutatum, quia non statim possunt ipsum capere*», de quibus dicit COMMENTATOR quod «*impossibile est ut addiscant*». Et ista | sunt duo impedimenta ex causa accidentali.

Tertium vero est ex causa praedicta naturali, quia in quibusdam dominatur virtus imaginativa, qui non possunt transire imaginationem, neque credere demonstrationibus, nisi imaginatio concomitetur eas. Unde isti ad certum intellectum | veritatis attingere non possunt. |

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod aequae rationalis est quilibet homo, dicendum quod rationale, quia nominat potentiam quae habet comparisonem ad actum et ad subiectum, magis vel minus circa ipsum potest intelligi in respectu ad actum aut in respectu ad subiectum. Primo modo bene potest intendi et remitti, in quantum unus ex causis praedictis habilior est ad actum intelligendi quam alius, et ad retinendum veritatis impressionem, secundum quod in Sex principiis dicitur quia «*animantius est brutum arbore et rationale irrationali*», et hoc quia brutum natum est pati a speciebus sensibilibus, arbor | non, et rationale a speciebus intelligibilibus, irrationale non. Et secundum hunc modum etiam unus homo dicitur rationabilior altero, quia magis natus est moveri veritatis impressione quam alter.

Secundo modo subdistinguendum. Cum enim rationale sit potestas hominis, ut homo est coniunctus ex corpore <et anima> cuius est et actus intelligendi et ratiocinandi, ut dicitur I^o De anima, potest considerari prout convenit homini ratione speciei vel ratione alicuius individui. Si primo modo, cum species sequitur formam, quae in homine est anima rationalis, hoc modo non potest rationale suscipere magis vel minus, quia species secundum se una et eadem est, et aequalis in omnibus individuis, non potens diversificari | neque intendi aut remitti in substantia sua. Si ratione individui, cum ratio individui se teneat ex

ARTICULUS II

parte corporis et materiae, hoc modo in individuo rationale bene potest suscipere magis et minus, secundum quod unus homo ex parte organorum sensitivorum magis est aptus ad | intelligendum et ratiocinandum quam alter, ut dictum est.

Et hoc contingit, quia stante unitate speciei semper formae in aliquo diversificantur in diversis individuis numero secundum diversitatem materiarum numero in quibus recipiuntur. Sed secundum hoc est ei materia quodammodo accidentalis, secundum quam ad omnes actus animae in corpore quidam sunt aptiores quam alii, et unus ad unum aptior est, alius ad alium, tam in moralibus quam in intellectualibus, et unus habilior ad unam | virtutem vel scientiam, alius ad aliam, [ut sic] sicut in uno et eodem homine secundum unam et eandem animam in natura et essentia propter mutationem aetatis contingit ipsum esse habiliorum ad unum actum quam ad alium, et similiter | ad eundem actum | in diversis aetatibus, et similiter propter mutationem temporis. Quae quidem mutatio non ponit per se aliquam variationem ex parte substantiae animae, sed solius corporis, et per corpus per accidens circa operationes animae, ita quod eadem anima, si haberet aliam dispositionem corporis, | aliter | operaretur, secundum quod dicit PHILOSOPHUS in I^o De anima: «*Si senex haberet oculum iuvenis, videret utique sicut iuvenis*». Virtutes enim animae in se non senescunt. Hinc dicitur in Sex principiis: «*Corpus universum, ut est in tempore, suscipit mutationes temporis alteratur enim corpus in aestate hieme vere et autumno, similiter et anima. Acutius etenim quidam in hieme, quidam | in aestate, quidam autem in vere speculantur secundum instrumenti complexionem. Anima enim coniuncta complexiones corporis comitatur, ut aridae et gelidae complexionis dementiores se ipsis saepe in autumno sunt, quibus vero sanguis principatur, in vere. Similiter autem et de aliis secundum similitudinem animalium et temporum*». Sicut, inquam, ista diversificatio in operibus animae contingit in eodem homine secundum eandem animam omnino ex parte corporis, consimiliter et in diversis hominibus secundum diversas animas, quia quantum ad substantialia speciei non potest esse diversitas ex parte animarum, quia quaelibet earum est tota species ipsa, et nihil aliud, secundum quod alias hoc debet probari. Si autem contingit diversitas, hoc non est ratione formae et speciei, sed ratione hypostaticarum dispositionum, quae per accidentia distinguunt species in supposita, sive istud accidens sit ex materia sive praeter materiam, secundum quod per accidentia in formis separatis species distinguuntur per hypostases, sicut in formis materialibus per materias, secundum quod docet DAMASCENUS in libro De duabus naturis et una persona Christi, dicens: «*Sciendum quod contentiva individuorum solum species*

QUAESTIO 5

dicuntur specialissimae, | ut angelus, homo, equus, oliva, et talia. Contentiva autem specierum specialissimarum genera dicuntur. «Natura quidem igitur est secundum sanctos commune et indeterminatum, scilicet specialissima species, hypostasis vero particulare secundum se ipsum subsistens, et simpliciter dicere natura commune est, veluti humanitas, hypostasis autem quod particulare, Petrus hypostasis est, non natura, sed habens perfectam naturam humanitatis». «Impossibile est autem naturam constitui extra eas quae secundum ipsam naturales proprietates constituentes ipsam et dividentes a reliquis naturis, quarum congregatio in altera non consideratur specie, item rursus unam et eandem hypostasim non uti characteristicis, et constitutivis ipsius et divisivis a reliquis hypostasibus». | «Dicamus igitur quid est naturalis proprietas | et quid hypostatica proprietas, et harum differentiam. Naturalis proprietas est quae | naturam constituit, velut rationale, vitale, quae dividit speciem a specie, hoc est naturam ab alia natura. Hypostatica proprietas | est quae dividit hypostasim ab alia hypostasi, velut album nigrum», «accidentia animae haec et adventitia», quibus «differens fit naturalium usu». Unde, ut determinat, omnia opera simpliciter determinantur a natura speciei, ut sunt velle, intelligere, et huiusmodi; pronitas autem et inclinatio ad volendum, aut intelligendum, aut aliquid aliud agendum sic vel aliter determinatur ab aliquo accidente quod contingit naturae in supposito determinate per illud accidens, sive secundum se sive in materia. Per quod unus aptus est ad magis certitudinaliter sciendum quam alter, non per aliquid quod est ex parte naturae et speciei, quae aequalis est quantum est ex parte sui in quolibet supposito, sed per aliquod accidens quod determinat et facit hypostasim distinctam ab alia hypostasi sub eadem forma. |

Ad secundum, quod scientia in anima non habet contrarium, dicendum quod magis et minus in eis quae intensionem nata sunt | suscipere | per se est ab agente, quia secundum quod maiori virtute agit puritatem formae magis imprimit. Magis ergo et minus causari potest in diversis, quia unum agens fortius agit ad imprimendum formae puritatem quam aliud, etiamsi forma non habeat contrarium in subiecto. Et hoc modo scientia de una re potest esse certior quam de alia in uno et eodem, quia veritas una magis nata est movere intellectum quam alia, et similiter scientia de una et eadem re potest esse certior in uno quam in alio, quia veritas eadem magis nata est | movere intellectum unius quam alterius. In eodem autem magis et minus causatur per contrarium impediens agens, et secundum quod plus et minus impedit, plus et minus veritatem formae imprimit, sicut contingit in formis naturalibus, ut per hoc etiam in diversis causetur magis et minus in quantum agens in uno magis impeditur a contrario quam in alio. Iste ergo modus eius | quod est magis et minus causatur ab eo quod est habere contrarium, non autem omnis modus suscipiendi magis et minus, ut dictum est. |

ARTICULUS II

QUAESTIO 6

UTRUM OMNIA SCIBILIA NATA SINT AEQUE CERTITUDINALITER SCIRI

Circa sextum arguitur quod omnia scibilia quantum est ex parte sui aeque certitudinaliter nata sunt sciri.

Primo sic. «*Sicut se habet unumquodque ad esse, sic ad veritatem et cognitionem*», II^o *Metaphysicae*. Sed unumquodque se habet ad esse et veritatem quod aeque vere est id quod est, quia ita vere corruptibile est corruptibile, ut incorruptibile est incorruptibile. Ergo unumquodque aeque vere se habet ad cognitionem. Quae aeque vere se habent | ad cognitionem aeque certitudinaliter nata sunt cognosci. Ergo etc.

Secundo | sic. Veritas uniuscuiusque rei creatae similitudo est in ea qua imitatur suum exemplar primum. | Tunc enim unumquodque in se vere est, cum est tale, quale ipsum fore exemplar repraesentat. Et tunc certe scitur, quando scitur tale esse. Sed unumquodque aequaliter natum est assimilari suo exemplari primo, quia tantum imitatur vermiculus ideam secundum quam factus est, quantum angelus suam. Ergo aequa certitudine potest sciri veritas cuiuscumque. Ex hoc autem est certitudo scientiae. Ergo etc. |

In oppositum est quoniam ex hoc nata est res certitudinaliter sciri, quod se ipsam clare manifestat iudicio intellectus, qui ex hoc per se testimonium perhibet veritatis. Sed non omnia aeque clare nata sunt se manifestare intellectui, quia hoc impedit materia in materialibus secundum COMMENTATOREM principio IIⁱ *Metaphysicae*. Ergo etc. |

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc quod veritas rei est id quo res scitur et intelligitur, quia ipsa | est proprium obiectum intellectus. Ex eodem autem est scientia rei et certitudo eius, quia non est scientia nisi sit certa, ut dictum est. Certitudo ergo scientiae est ex veritate rei scitae, quare secundum modum veritatis repertae in rebus iudicandum est de certitudine scientiae earum. Dispositio enim per se effectus semper sequitur dispositionem suae causae. Nunc autem ita est quod veritas rei

QUAESTIO 6

et esse eius parificantur, secundum quod dicitur II^o *Metaphysicae*: «*Necesse est ut dispositio cuiuslibet rei in esse sit sua dispositio in veritate*». Unde alia translatio dicit ibidem: «*Unumquodque ergo sicut se habet ad esse, sic se habet ad veritatem*». | «*Quanto igitur*», ut dicit COMMENTATOR ibidem, «*res quaelibet magis fuerit perfecta in esse, tanto magis erit perfecta in veritate*». Et ideo dicitur in eodem quod «*ens significat essentiam et veritatem rei*» et quod id «*quod significat essentiam cuiuslibet, hoc est finis cognitionis et esse rei*».

In esse autem sic se habent res, quod non habent ipsum | aequaliter, sed est unum ens primum, cui verissime convenit esse, quia habet esse per suam essentiam, a quo omne aliud ens habet esse per participationem, et ideo multo debilius, secundum quod dicit AUGUSTINUS VII^o *Confessionum*, dirigens sermonem ad Deum: «*inspexi cetera | infra te, et vidi nec omnino esse, nec omnino non esse: esse quidem quoniam abs te sunt; non esse autem, quoniam id quod es non sunt*». | Amplius in his quae habent esse per participationem, cum omnia entia sunt a primo per ordinem, non aequaliter esse participant, sed ea quae propinquiora sunt primo in esse, verius ipsum esse participant quam remotiora. Propter quod dicitur II^o *Metaphysicae*: «*Primum semper est magis dignum in esse, posterius autem non sicut*»; et AUGUSTINUS XII^o *Confessionum*: «*Fecisti caelum et terram, unum prope te, alterum prope nihil, unum quo superior tu es, alterum quo inferius nihil est*». Et est hoc dictum de materialibus compositis ex materia et forma, quia cum forma dat esse, et superiora corpora, quia plus habent de forma, verius habent esse et inferiora | minus vere, quia plus habent de materia, ideo caelum, quod est supremum in corporibus, dicitur factum prope ens primum, terra autem infima in corporibus dicitur facta *prope nihil*.

Substantiae autem spirituales secundum illos qui dicunt quod sunt formae purae, verissime et summe habent esse in creaturis. | Materia autem pura, quantum est ex se, minime de esse habet. De qua dicit | AUGUSTINUS quaerens quid sit, XII^o *Confessionum*: «*Si dici potest 'nihil aliquid' et 'est et non est' »*; et PLATO in *Timaeo*: «*Idem hoc inter nullam et aliquam substantiam positum invenitur, nec tamen nihil est*». | Secundum igitur hunc ordinem, quanto res superior est et propinquior primo simplici, qui est forma et actus purus, tanto est | perfectior in veritate, et quanto remotior est ab illo et propinquior materiae purae, tanto imperfectior est in veritate. Propter quod dicit PHILOSOPHUS II^o *Metaphysicae*: «*Unumquodque principiorum causa est eorum secundum quod sunt aliae res, et oportet ut illud quod est magis verum, sit illud quod est causa veritatis rerum quae sunt post*».

Quare cum secundum exigentiam veritatis rei nata est de ea haberi certa scientia, absolute dicendum quod non omnia, immo nulla a primo

ARTICULUS II

ente usque ad ultimum, quantum est de natura rei, aequa certitudine nata sunt sciri. Immo primum in fine certitudinis natum est sciri, post ipsum autem substantiae immateriales spirituales angelicae, et ultimo materialia, et in rebus materialibus unumquodque natum est sciri tanto minus quanto magis materiale est. Unde et mathematica abstracta a materia sensibili certiori scientia cognoscibilia sunt quam naturalia. Et ideo dicit PHILOSOPHUS de illis substantiis immaterialibus comparando scientiam earum, | quantum est ex parte sui, ad scientiam materialium II^o Metaphysicae: quod *«in natura sua sunt valde manifestae»*, et quod *«non est difficilis cognitio veritatis in eis propter ipsas res, sed propter nos»*, e contrario ei quod contingit in rebus materialibus, secundum quod dicit ibi COMMENTATOR: *«Rectum est ut difficultas in rebus quae sunt in fine veritatis, et in primo principio, et in principiis abstractis a materia sit ex nobis, non ex illis, quoniam abstracta sunt intellecta in se naturaliter»*. Et ideo illa certissime nata sunt sciri, quanto sunt priora, secundum quod dicit PHILOSOPHUS I^o Metaphysicae: *«Certissimae scientiarum maxime primorum sunt»*. | In aliis autem in se ipsis | est difficultas sciendi ea, quia non sunt in se intellecta, sicut formae materiales.

Difficultas enim in illis magis est ex se quam ex nobis, et maxime in cognoscendo primam materiam. Propter quod dicit PLATO de ipsa quia *«nec plane intelligibilis est, nec plane sensibilis»*. Comparando etiam materialia inter se secundum certitudinem scientiae, dicit PHILOSOPHUS quod *«non oportet quaerere in qualibet scientia perscrutationem, sicut in mathematicis. Hoc enim non oportet quaerere nisi in eis quae non commiscuntur | cum materia. Et ideo iste modus non est naturalis, quia omnis natura fere admixta est cum materia»*; ubi dicit COMMENTATOR: *«Demonstrationes enim mathematicae sunt in primo ordine certitudinis, et demonstrationes naturales sequuntur eas»*, et iterum inter mathematica tanto maiori certitudine nata sunt sciri, quanto | sunt magis abstracta. | Propter quod dicitur I^o Metaphysicae: *«Quae ex minoribus certiores sunt his quae ex appositione, ut arithmetica, geometria»*. Est enim arithmetica de unitate, quae est substantia non posita, geometria vero de puncto, quae est substantia posita, et ita magis concernens materiam. Et ideo geometria sumit certitudinem ab arithmetica, descendendo de genere in genus in quantum *«magnitudines numeri sunt»*, ut dicitur in libro Posteriorum.

Minima ergo certitudo rerum materialium nata est esse in scientia rerum naturalium, et tanto minor, quanto magis sunt mutabiles, quia praeter hoc quod minus perfecte habent esse et veritatem, quia sunt proxima materiae, id modicum quod habent esse et veritatis amittunt in quantum mutantur, secundum quod dicit AUGUSTINUS V^o De Trinitate: *«Quod mutatur non servat ipsum esse, et quod mutari potest,*

QUAESTIO 6

etiamsi non mutetur, potest quod fuerat non esse. Ac per hoc illud quod non tantum non mutatur, verum etiam omnino mutari non potest, sine scrupulo accidit quod verissime dicatur esse. | Et ideo corpora caelestia, quia solum mutantur secundum situm, non secundum formam, sicut elementaria, certius nata sunt sciri quam elementaria, quorum naturam, scilicet in materia, in hoc quod minima certitudine sciuntur, sequuntur | omnia moralia propter particularium variabilitatem circa quae sunt, de quibus dicitur I^o Ethicorum: *«Bona et iusta de quibus civilis intendit tantam habent differentiam et errorem, ut videantur sola lege esse».* Et quia propter mutationem, quae est in rebus naturalibus, ipsa minime esse habent et minima certitudine nata sunt sciri, ideo etiam contingit quod illa, quorum esse et natura est ipsa mutatio aut in mutatione consistit, minimum esse habent inter omnia naturalia et debilissime nata sunt sciri, cuiusmodi sunt motus et tempus. | De tempore enim dicit PHILOSOPHUS IV^o Physicorum quod apparet *«quod omnino non sit, aut vix aut obscure»;* et AUGUSTINUS XI^o Confessionum: *«Quid | est tempus? Si nemo ex me quaerat, scio; si quaerenti explicare velim, nescio. Quomodo enim esse dicimus, cui causa, ut sit, illa est, quia non erit, ut scilicet non vere dicamus tempus esse, nisi quia tendit in non esse?».* Minime ergo ista nata sunt sciri, quia minime nata sunt esse determinatum habere.

Unde et illud quod omnino habet esse indeterminatum, id nulla scientia humana comprehendit, cuiusmodi est ens | per accidens, de quo dicit PHILOSOPHUS VI^o Metaphysicae: *«Nulla scientia perscrutatur de | hoc, quia non habet esse determinatum»*, et ideo neque scientiam permanentem, quoniam omnis scientia permanens aut est illius quod est semper aut illius quod est in maiori parte, quia quod determinatur oportet quod sit semper aut in maiori parte. Unde et talia entia | ad prima principia per se nota, quae ex natura sua certius nata sunt sciri quam posteriora in quolibet genere scientiae et in qualibet re scita, per accidens se habent. Unde ex illis primis principiis non potest ratio humana talium notitiam investigare.

Sic ergo patet discurrendo per singula qualiter non omnia aequae certitudinaliter nata sunt sciri, sed quaedam certius, quaedam minus certe, ut dictum est. |

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod *«omnia aequae vere se habent ad esse»*, dicendum quod falsum est, secundum quod patet ex dictis. Licet enim quaeque res aequaliter vere est id quod est, quia *«nulla propositio*

ARTICULUS II

est verior ea in qua praedicatur idem de se ipso», absolute tamen non aequae vere habet esse quaelibet res, sed una verius altera. Unde arguendo sic «vermiculus aequae vere est id quod est, ut angelus; ergo aequae vere est», fallacia est secundum quid et simpliciter. |

Ad secundum, quod aequae vere quaeque res assimilatur ei ad quem facta est; ergo aequae vere est, dicendum quod non sequitur, quoniam licet aequae vere assimilatur, non tamen tantum assimilatur, quia non | secundum tantum et aequale nata est quaeque res ei assimilari, et tanto res in se verius est, quanto amplius illi primo assimilatur. Unde AUGUSTINUS 83 *Quaestionibus*: «*Multis modis res possunt dici similes Deo: aliae secundum virtutem et sapientiam, quia in ipso est virtus et sapientia; aliae in quantum solum vivunt, quia ipse summe vivit; aliae in quantum sunt, quia ille summe est. Et ideo quae tantum sunt exiguae sunt ad similitudinem eius; quae vero vivunt amplius participant similitudinem; quae vero sapiunt, similitudine propinqua sunt, ut in creaturis nihil sit propinquius*». Modicum ergo ens tantum assimilatur modico in ipso ad quod est, quod tamen in se non est modicum, sicut maximum maximo. Non tamen ex hoc sequitur quod tantum assimilatur modicum, sicut maximum. Modicum et maximum dico in Deo non ex se absolute, sed ex comparatione qua imitabilis est a creatura secundum gradus diversos. |

ARTICULUS III

DE QUALITATE SCIBILIUM

Quia disciplinati est in tantum certitudinem quaerere secundum unumquodque genus, in quantum rei natura recipit, ideo postquam visum est de certitudine scientiae humanae, videndum | est de quidditate scibilis ab eo. Et circa hoc quaeruntur quinque: | primum, si contingit hominem scire non entia; secundum, si contingit hominem scire omnia entia; tertium, si contingit hominem scire omnia ex philosophicis scientiis; quartum, si contingit hominem scire omnia ex puris naturalibus; quintum, si contingit hominem scire per gratiam illa quae excedunt naturam. |

QUAESTIO 1

UTRUM CONTINGAT HOMINEM SCIRE NON ENTIA

QUAESTIO 1

Circa primum arguitur quod contingit hominem scire non entia.

Primo sic. Ea quae non sunt solent praecaveri si suspicantur nociva, et sperari si suspicantur proficua. Haec non possent fieri nisi contingeret ea scire. Ergo etc.

Secundo sic. Prophetae praenuntiabant | quae non erant et neque ex cursu rerum naturalium futura erant. Et illa non erant simpliciter et tamen illa sciverunt. Ergo etc.

Tertio sic. Contingit praenuntiare eclipses solis et lunae, et cetera talium, antequam sint. Quod non esset, nisi contingeret scire non entia. Ergo etc.

Quarto sic. Secundum PHILOSOPHUM in libro *Peri hermeneias*: «contingit vere enuntiare de eo *quod non est non esse*». Hoc autem non contingeret, nisi | contingeret quod non est scire. Ergo etc. Probatio mediae est quia si contingit vere enuntiare de eo quod non est non esse, contingit scire propositionem illam veram in qua enuntiat quod non est non esse, quia omne verum est scibile. Sed non contingit scire veritatem complexionis nisi sciendo incomplexa, quia veritatem complexionis non cognoscimus, nisi in quantum terminos cognoscimus. Cum ergo termini illius complexionis et in subiecto et in praedicato sunt non ens, ergo etc.

Oppositum arguitur primo sic. Non contingit scire nisi verum. Verum et ens convertuntur. Ergo etc.

Secundo sic. Scientia hominis causata est a rebus. Non ens nullius potest esse causa. Ergo etc. |

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc secundum PHILOSOPHUM | in III^o *De anima* quod intellectus est «*quodammodo intelligibilia* et sciens *scibilia*», et cum «*non sunt nisi duo modi* essendi», ut ibi dicit COMMENTATOR, «*necesse est ut intellectus et sciens sint intellectum et scibile extra animam aut forma eius*». Res autem ipsa non possunt esse. Necesse est ergo quod sint quodammodo forma et species eius, specie scilicet rei intellectae et scitae informati. Unde «*lapis non est in anima, sed species lapidis*». Nihil igitur potest esse scibile, nisi quod per speciem suam natum est esse in anima, ut per speciem anima quodammodo sit ipsum. Quare cum non ens speciem habere | natum non est, non ens nullo modo potest esse scitum in quantum huiusmodi. Sed quidquid contingit hominem scire necesse est quod ens sit, ita quod prima ratio scita oportet quod sit ratio et intentio entis, secundum quod dicit AVICENNA: «*Ens et res talia sunt*

ARTICULUS III

quod statim imprimuntur in anima | prima impressione, quae non acquiritur ex aliis notioribus se, et alia ab eis». Unde quod privat entis intentionem per se, est illud quod est per se et primo incognitum, ita quod sicut unumquodque scitum primo est cognitum sub ratione qua ens, ita unumquodque ignoratum primo est incognitum sub ratione qua non ens. Propter quod dicit PHILOSOPHUS I^o P H Y S I C O R U M quod «*infinitum in quantum infinitum incognitum est*», quia infinitum in quantum infinitum est non ens. |

Intelligendum tamen quod «*ens dicitur multis modis*», secundum PHILOSOPHUM V^o M E T A P H Y S I C A E, et similiter per contrarium non ens dicitur multis modis. Quorum unus est secundum figuras praedicamentorum, et est certitudo qua unaquaeque res est id quod est, sicut albedo habet certitudinem qua est albedo. Et hoc appellatur esse proprium rei, quod est essentiae eius. Non ens oppositum tali enti est illud quod nullam certitudinem habet in se, nec potest habere apud intellectum qua certificetur res esse id quod est, sed privat | esse tale, et est illud de quo dictum est quod homo non potest ipsum scire, quia est omnino inscibile, quia rem cuiuslibet | praedicamenti privat. Sed ens dicto modo secundum quodlibet genus praedicamenti | dividitur in ens potentia et in ens actu. Et dicitur illud quod est in potentia non ens respectu illius quod est ens actu extra animam, quia id quod solum est in potentia non est in actu. Quod tamen aliquando poterit esse tale vel potentia materiae per generationem vel potentia efficientis solum per creationem, de tali non ente non est negandum quin contingat hominem ipsum scire concipiendo quidditatem et essentiam talis entis, praeter hoc quod apprehendat ipsam | esse in actu extra animam. Talis enim intellectus, quo apprehenditur res extra esse in effectu, semper concomitatur intellectum quo apprehenditur res simpliciter in essentia sua, ut dicit AVICENNA | ponens exemplum tale: «*Verbi gratia, si dixerit aliquis 'resurrectio erit', intellexisti 'resurrectionem', quae non est, et intellexisti 'erit', quod non est, et praedicasti 'erit' de 'resurrectione'. Sed intelligitur ut in hora futura vera sit de ea intentio de 'est'*». Et sic, ut dicit, «*enuntiationes non sunt nisi per id quod est in anima et per accidens per id quod est in exterioribus*». Et similiter est de intellectibus incomplexorum, secundum quod dicit ALGAZEL in L O G I C A sua: «*Possibile est te intelligere hominem simpliciter, ita quod non intelligas an habeat esse extra, | an non esse, sicut an habeat esse album, an non*». | Et si dubitas forte an habeat esse in mundo an non, hoc non impedit tuum intellectum ad intelligendum essentiam hominis, quod manifeste dicit PHILOSOPHUS secundum antiquam translationem II^o P O S T E R I O R U M. «*Apparet*», inquit, «*quod intentio definitionis rei et quia existat, sunt duae res diversae, quia qui ostendit quid est res et eius definitionem,*

QUAESTIO 1

non apprehendit per hoc quod illa res existat. Nam cum homo ostendit definitionem circuli, quod sit figura plana, et cetera, non | apprehendit per ostensionem illius quod sit esse circulo». Nota per illud quod dicit «sunt duae res diversae» ipsum non intelligere nisi diversitatem intentionum in intelligendo, quod patet per hoc quod subdit, «quia qui ostendit» etc.

De non ente vero quod opponitur enti secundum figuras praedicamentorum, quod privat rem cuiuslibet praedicamenti, de illo solo non ente non potest esse scientia nisi per accidens, sicut privato cognoscitur per habitum, secundum quod dicit AVICENNA I^o Metaphysicae: «Esse est notius quam non esse. Esse enim cognoscitur per se, non esse vero cognoscitur per esse aliquo modo».

<AD ARGUMENTA>

Per haec patent | obiecta utriusque | partis, si quis inspiciat. |

QUAESTIO 2

UTRUM CONTINGAT HOMINEM SCIRE OMNIA ENTIA

Circa secundum arguitur quod contingit hominem scire omnia entia.

Primo sic. PHILOSOPHUS dicit in III^o De anima quod «intellectus quodammodo est omnia intelligibilia, sicut sensus est omnia sensibilia». Sensus sic est omnia sensibilia quod potest omnia sentire. Ergo intellectus ita est omnia intelligibilia quod potest omnia intelligere. Haec sunt omnia scibilia et omnia entia. Ergo etc.

Secundo sic. Qui potest intelligere et scire magis scibile et intelligibile, et minus, secundum PHILOSOPHUM in III^o De anima. Homo potest scire et intelligere summe scibile, ut dictum Ioannis 17^o: «Haec est vita aeterna». Ergo etc.

Oppositum arguitur primo sic. Ecclesiastici 3^o, «Plurima sunt super sensum hominis». Sed illa non potest scire. Ergo etc.

Secundo sic. Ecclesiastes 7^o: «Dixi: 'sapiens efficiar', et ipsa recessit a me multo plus quam eras». Sed hoc non contingeret, si contingeret eum scire omnia entia. Ergo etc. |

<SOLUTIO>

ARTICULUS III

Dicendum ad hoc quod ita est in omnibus quibus competit operatio aliqua exercenda per instrumentum, quod agens de se sufficiens ut agere possit, si habeat copiam instrumenti, dicendus est simpliciter posse in illam | operationem, licet ei deficiat instrumentum, et ideo non possit procedere in actum, sicut oculus dicitur posse videre omne visibile, licet non possit procedere in actum videndi deficiente luce exteriori. Nunc autem ita est quod propria operatio hominis secundum quod homo est scire et intelligere, quia est eius operatio secundum intellectum | et rationem, qua vere homo est, secundum PHILOSOPHUM X^o ETHICORUM. Ad operationem autem huiusmodi homo, quantum est ex | natura sui intellectus, si sufficienter illustretur luce intellectuali proportionali cuilibet scibili secundum statum et gradum suum, est in potentia ut sciat et intelligat unumquodque. | Absolute igitur concedendum est quod homo potest scire omnia entia, hoc est | omnia scibilia. Et ob hoc dicitur in libro De spiritu et anima: «Anima ad similitudinem totius sapientiae facta omnium in se similitudinem gerit». Dicit etiam AVICENNA in IX^o Metaphysicae suae quod «sua perfectio animae rationalis est ut fiat secundum intelligibile, et describatur in ea forma totius, et ordo | intellectus in toto, et bonitas fluens in omne, et ut incipiens a principio totius procedat ad substantias intellectuales spirituales absolute, et deinde ad spirituales pendentes aliquo modo a corporibus, et deinde ad animas moventes corpora, et postea ad corpora caelestia, et ut haec omnia fiant descripta in anima secundum dispositiones et vires eorum, quousque perficiatur in ea dispositio esse universitatis, et sic transeat secundum intellectum in instar totius mundi, et cernens id quod est pulchrum absolute, et bonitas absolute, et decor verus, fiat unum cum eo, insculpta exemplo eius». |

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod «plurima sunt supra sensum hominis», dicendum quod verum est attingenda lumine naturali. Si tamen sufficienter illustretur lumine supernaturali, nihil est supra sensum hominis, quin possit illud attingere intellectu. |

Ad secundum, quod «sapientia recedit ab investigante», dicendum quod dicitur recedere, quia quanto homo plus investigat scientiam lumine naturalis rationis, tanto patet ei profunditas. Nihil tamen est scibile in creaturis, si sufficienti lumine illustretur, quin poterit illud scire, maxime cum illustratur ad hoc quod possit scire summum intelligibile attingendo, licet non comprehendendo. In cuius cognitionis comparatione | potest etiam verificari illud Ecclesiastes: «Dixi:

QUAESTIO 2

‘*sapiens efficiar*’, etc. Quanto enim amplius cognoscitur illud, | tanto amplius recedere dicitur cognitio illius ab eo, quoniam semper | de scibili illo claret plus restare cognoscendum quam iam cognitum est. |

QUAESTIO 3

UTRUM CONTINGAT HOMINEM SCIRE OMNIA EX PHILOSOPHICIS SCIENTIIS

Circa tertium arguitur quod contingit hominem scire omnia ex philosophicis scientiis.

Primo sic. Quaecumque sunt in universo per ordinem et connexionem se habent ad invicem. Connexio illa sciri potest ex scientiis philosophicis, quia fit per naturam influentiae inter motorem et motum, causam et causatum, quae sciri possunt ex scientiis philosophicis. Connexio autem et ordo aliquorum sciri non possunt, nisi simul sciantur connexa et ordinata, quia relative se habent ad invicem. Ergo etc.

Secundo | sic. Ex scientiis philosophicis habet homo scientiam superiorum et inferiorum, corporalium et spiritualium, sicut | patet. Et ista sunt omnia scibilia. Ergo etc.

Contra est. Quoniam ex scientiis philosophicis nihil | scitur nisi scientia quae hauritur ex sensibus et sensibilibus, quia secundum PHILOSOPHUM omnis nostra cognitio a sensu ortum habet. Sed multa sunt scibilia quorum scientia ex sensu et sensibilibus hauriri non potest, ut sunt | omnia illa quorum notitiam per fidem tenet sacra scriptura. Ergo etc. |

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc secundum | PHILOSOPHUM IV^o Metaphysicae quod scientiarum philosophicarum omnium una est universalis ad omnes, quam appellant philosophi *primam philosophiam*, aliae vero sunt particulares sub illa. Nunc autem, ut dicit PHILOSOPHUS ibidem, «*scientiarum particularium | cuiusque est considerare de accidente quod accidit alicui partium entis divisae a toto ente*», contra alias partes quas considerant aliae scientiae particulares, *sicut mathematicae* accipiunt numeros et magnitudines et considerant de eis et suis accidentibus, et naturales de | ente mobili. Scientia vero universalis *de ente* simpliciter

ARTICULUS III

considerat et de eis quae sunt entis *per se*, et ideo considerat etiam de primis causis et principiis entis simpliciter, de quibus nulla scientia particularis se intromittit. Si ergo aliqua pars philosophiae de natura et quidditate divinorum et de eis quae sunt propria Deo et substantiis spiritualibus consideraret, illa est prima philosophia, quia, ut dicitur in I^o *Metaphysicae*, «philosophus primus debet considerare de rebus quae sunt magis altae omnibus substantiis in veritate». Sed constat quod de illis PHILOSOPHUS non | determinat nisi in universali, in quantum sunt principia et causae entis simpliciter, secundum quod ipse dicit in I^o *Metaphysicae*. «*Arbitramur*», inquit, «*scire omnia sapientem, sicut contingit, non secundum unumquodque scientiam habentem ipsorum*», ubi dicit alia translatio: «*non singularem eorum scientiam habentem*». Constat tamen quod non minus substantiae spirituales habent in se scibilia specialiter de eis scienda, quam substantiae corporales, de quibus scientiae particulares philosophiae particularia, ut dictum est, considerant. Quare cum illa particularia scienda circa substantias spirituales nulla pars philosophiae docet, nec universalis nec particularis, patet clarissime quia non contingit homines | scire omnia scibilia sibi ex scientiis philosophicis. Unde et PHILOSOPHUS, qui hoc bene sentiebat, quando occurrebant ei talia quae scientiam philosophicam excedebant, de hoc se non intromisit, sed considerationi alterius commisit, secundum quod de hoc habemus unum exemplum clarum in I^o *Ethicorum*, ubi quaerit inter alia de felicitate an sit donum Dei; dicit sic: «*Si quidem aliud aliquod deorum est donum hominibus, rationale et felicitatem Dei donum esse, maximum quanto optimum. Sed | de hoc erit alterius perscrutationis | magis proprium*».

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod ex philosophia scitur connexio omnium, ergo et connexa, dicendum quod connexa cognoscuntur ex philosophia, quantum potest manuducere | connexio a sensibilibus ad insensibilia procedendo. Et hoc est solum quoad generalia, quae pertinent ad rationem causalitatis superiorum respectu inferiorum, non autem quoad propria, in quibus certior consistit eorum scientia. |

Ad secundum, quod «ex philosophia habetur scientia omnium», dicendum quod verum est quoad genera singulorum, quia de quolibet genere entis considerat, sed non quoad singula generum neque quoad singula de singulis consideranda, sed quoad singula generum considerat substantias corporeas, non autem incorporeas, quae non minus scibilia

QUAESTIO 3

sunt quoad singula specialiter considerata circa eas quam corporalia, ut dictum est. |

QUAESTIO 4

UTRUM CONTINGAT HOMINEM SCIRE OMNIA EX PURIS NATURALIBUS

Circa quartum arguitur quod contingit hominem scire omnia ex puris naturalibus suis.

Primo sic. Homo potest scire ex puris naturalibus suis illa quorum notitia includitur in potentia in primis principiis naturaliter cognitis, quia ex illorum notitia per naturalis rationis investigationem potest cognitionem aliorum deducere in actum. Omnia scibilia sunt huiusmodi. Omnium enim scibilium notitia in potentia includitur in primis principiis. Ergo etc. Probatio assumptae est, quia primum principium incomplexum est intentio entis in quantum ens est; primum complexum est «*de quolibet affirmatio vel negatio*», | ut dictum est supra. Sub intentione et conceptu entis simpliciter continetur omnis conceptus incomplexus, sive sit creati | sive increati, ut vult AVICENNA I^o *Metaphysicae* suae; sub conceptu illius complexi «*de quolibet affirmatio vel negatio*», continetur quilibet conceptus complexus, sive sint extrema entis creati sive increati.

Secundo sic. Frustra esset aliquid in potentia ad aliud, nisi actu illud posset attingere. Cum ergo «*intellectus humanus*» secundum PHILOSOPHUM «est in potentia *omnia intelligibilia*», et hoc in puris naturalibus | constitutus, | «*nihil autem est ponere frustra in fundamento naturae et creaturae*», ergo etc.

Oppositum arguitur sic. Scientia hominis ex puris naturalibus non est nisi via sensus, secundum PHILOSOPHUM. Sed plura sunt scibilia quorum notitia a sensu non capit ortum, quia non cadunt omnino sub sensu, nec ea quae cognoscuntur ex sensu sufficiunt ad hoc ut faciant illa sciri, ut sunt quidditates incorporalium. Ergo etc. |

<SOLUTIO>

Ad hoc dicendum quod ab agente per | instrumentum non potest procedere actio ad quam instrumentum se extendere non potest, quia

ARTICULUS III

instrumento artis fabrilis opus carpentationis faber efficere | non potest. Nunc autem ita est quod ratio naturalis in | cognitione quae sibi ex puris naturalibus competit utitur ut instrumento lumine naturali sibi veritates rerum illustrante et eas intellectui manifestante. Lumen autem illud, quia naturale est, limitatum est ad solummodo notitiam hominis naturalem illustrandam. Cum ergo illa notitia quae naturalis est sit adminiculo sensuum et sensibilium, lux homini connaturalis solum illustrat ad sciendum notitiam eorum quae mediante sensu nata sunt cognosci. Talia sunt illa quae sunt scibilia philosophica solum, praeter quae sunt plura alia, quae excedunt naturalem intellectum hominis, quia per sensibilia non potest ad illorum quidditates cognoscendas attingere, maxime autem Dei, quia omnia sensibilia sunt effectus quidam virtutem illius in nullo adaequantes, et sine cognitione eius quod quid est omnino scientia de natura rei haberi non potest, secundum quod dicit PHILOSOPHUS VI^o *Metaphysicae*: «*Oportet non ignorare illud quod significat aliquid, quid est, quia | absque hoc facere nihil est*», ubi dicit COMMENTATOR: «*Quaerere enim aliud scire hoc non determinato est quasi non quaerere*». Unde volentes ex vestigio creaturae divinam essentiam perfecte cognoscere irridet Iob XI^o: «*Forsitan*», inquit, «*vestigia Dei comprehendes et omnipotentem usque ad perfectum reperies*» et XXXVI^o: «*Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram*». Et non solum clara illorum notitia nostri intellectus possibilitatem excedit, sed et illa quae nata est haberi de eis *per fidem et in aenigmate*, secundum quod dicitur infra. |

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod «*omnium notitia in potentia includitur in primis principiis*», dicendum primo ex parte primorum principiorum quod sicut in naturalibus illud quod procedit ex radice semper tenet et sapit naturam seu virtutem radices, nec potest naturam radices excedere, sic principia prima naturalis cognitionis, cum a sensibus et sensibilibus velut a radice trahantur, ut saepius dictum est, vim et naturam sensibilium excedere non possunt, ut sicut ipsa in naturali | notitia hominis accepta sunt a sensibilibus, ultra notitiam | eorum quae adminiculo sensuum nata sunt cognosci extendi non possunt. Licet ergo ratio entis simpliciter et absolute accepta sit in potentia sufficiens ratio cognoscendi quodlibet cognoscibile quod sub ratione generali entis continetur, in quantum tamen est accepta per sensum a sensibilibus, limitata est, ut sit in potentia principium cognoscendi solum illa ad quae potest deducere ratio naturalis adminiculo sensuum et sensibilium, et

QUAESTIO 4

non alia. Secundo dicendum ex parte luminis naturalis intellectus, ut est coniuncti, quod quamvis | principia prima sunt, quantum est de se, sufficienter in potentia ad faciendum scire quodlibet cognoscibile, quia tamen lumen illud limitatum naturaliter est, ut non sit natum illustrare ad eliciendum notitiam | aliquam ultra notitiam quae ex sensibilibus hauritur, ultra quam non potest se | extendere, nisi ei adiutorium luminis superioris addatur, sicut lux naturalis in oculo cati sufficit ad illustrandum medium, ut eo videat aliqua visibilia grossa, et non potest ei ostendere minuta nisi lumine solis vel candelae, vel aliquo exteriori superinfuso. |

Ad secundum, quod omnia sunt homini naturaliter cognoscibilia, dicendum quod aliqua sunt homini cognoscibilia naturaliter, quia ex principiis naturaliter ei inditis potest in illorum cognitionem devenire sine adiutorio exteriori; sic homini in statu huius vitae solum sunt naturaliter cognoscibilia | ea quae sensuum adminiculo capere potest. Alio modo sunt aliqua naturaliter ei cognoscenda seu cognoscibilia, quia de natura sua natus est illa intelligere, sed hoc non ut ex puris naturalibus illa intelligat, sed quia naturaliter ita ordinata est, ut nata sit recipere lumen quo adiuta illa intelligat. Unde secundum hunc modum homo ordinatur ad hoc, ut per gratiam elevetur ad suscipiendum magis bonum, quam sit illud quod potest attingere per naturam. Quod non videbant philosophi, et ideo cognitionem hominis et beatitudinem non posuerunt ultra id quod potest attingere per naturam, et errabant. |

QUAESTIO 5

UTRUM CONTINGAT HOMINEM SCIRE PER GRATIAM ILLA QUAE EXCEDUNT NATURAM

Circa quintum arguitur quod non contingit hominem scire per gratiam illa quae eius excedunt naturam.

Primo sic. Inter agens et patiens | debet esse proportio. Non enim, ut dicit PHILOSOPHUS, quodlibet natum est agere in quodlibet, sed unumquodque in sibi conveniens et proportionale. «*Actus enim activorum sunt in patiente et disposito*». Scitum autem agit in sciens, et non est proportio intellectus humani in cognoscendo ad id quod eius naturam excedit, quia si in cognoscendo ipsum esset eius ad ipsum proportio, non excederet ipsum. Ergo quod excedit ipsam naturam eius non potest homo | ullo modo scire.

Secundo sic. Si sciret per gratiam quod eius naturam excedit, illa gratia necessario est ei supernaturalis. Sed quod est supernaturale non

ARTICULUS III

est susceptibile per naturam, ergo solum per gratiam, et eadem ratione illa per aliam, et sic in infinitum. Hoc autem est impossibile ut sic procedatur; ergo et primum, quod homo sciat per | gratiam quod non potest scire per naturam.

Tertio sic. Sicut se habet oculus corporalis ad videndum mediante luce corporali sibi naturali, sic intellectus ad videndum | mediante luce spirituali sibi naturali. Sed nullo lumine superiori potest oculus corporalis elevari ad videndum quod non potest videre lumine sibi naturali; ergo nec oculus spiritualis ad videndum quod non potest videre lumine sibi naturali.

In contrarium est quoniam cognitio hominis naturalis non excedit adminiculum sensus. Si ergo non posset scire per gratiam quae non potest scire per naturam, nullo modo posset eius notitia excedere visibilia. Quare cum in ultima notitia hominis consistit eius beatitudo, beatus esset ex notitia causatorum sensibilium quam potest habere ex ipsis. Quare cum hoc sit haeresis philosophorum, aliam oportet homini dare scientiam per gratiam quam potest habere per naturam. |

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc quod secundum AUGUSTINUM VIII^o Super Genesis *«in ipso mundo gemina providentiae divinae operatio reperitur, partim naturalis, partim voluntaria, naturalis per occultam administrationem»*, de qua dicit libro IX^o: *«Omnis iste naturae usitatissimus cursus habet quasdam leges naturales | et determinatam vim, quid unumquodque valeat vel non valeat»*, verbi gratia, *«ut de grano tritici non nascatur faba, sed triticum. Super hunc cursum rerum naturalem voluntaria administratione potestas est creatoris facere de omnibus aliud quam eorum seminales rationes habent»*, verbi gratia, *«ut lignum aridum repente floreat, et fructum gignat, et asina | loquatur, et cetera huiusmodi quae Deus naturis dedit, ut haec ex eis fieri possent actione potentioris. Non enim ex eis illa faceret nisi fieri possent»*, ut ita dicit IOANNES DAMASCENUS, *«Quae tamen non dedit | eis, ut haberent ex motu suo naturali. Et ideo potentia illa appellatur potentia oboedientiae, non naturae»*. Nunc autem sicut Deus agit et movet ut primus motor in movendo creaturas corporales motu corporali, sic agit et movet ut primus motor in movendo creaturas spirituales | motu spirituali, et ideo sicut dupliciter movet, ut dictum est, creaturas corporales, una scilicet providentia generali et naturali, et altera providentia speciali et voluntaria, similiter congruit ut dupliciter moveat creaturam spiritualem. Motus autem eius est in intelligendo et volendo, et hoc scilicet

QUAESTIO 5

providentia generali movendo eam lumine naturaliter sibi indito ad cognoscendum ea quae subsunt | cognitioni naturali, et similiter ad ea agendum quae sibi ex naturalibus agere competit; providentia autem speciali movendo eam lumine supernaturaliter infuso ad cognoscendum quae sunt super facultatem rationis naturalis, et similiter voluntarie ad agendum quae sibi per gratiam agere competit, ut sic homo ordinetur, tam ex parte intellectus quam affectus, ad aliquid superius quam ex puris naturalibus possit attingere, quod non contingit in aliquibus ratione carentibus, et hoc ut homo, qui ferri debet in finem suum ratione et voluntate, quod non competit ratione carentibus, auxilium semper a Deo suo postulet, nec ipsum aliquando contemnat, quod de facili faceret, si ex puris naturalibus sibi omnino sufficeret. | Et hoc est quod dicit CHRYSOSTOMUS exponens illud *M a t t h a e i VII°*, «*Date et dabitur | vobis*»: «*Omnem*», inquit, «*creaturam sensibilem Deus armatam et munitam creavit. Alios enim munivit velocitate pedum, alios unguibus, alios pennis, alios dentibus, alios cornibus, hominem autem solum sic disponit ut virtus illius sit ipse. Et in eo quod infirmiore eum fecit omnibus, eo ipso fortiorem voluit eum esse in se. Nam sciens Deus quia cognoscere et colere Deum vita aeterna est, ignorare autem et contemnere | perditio sempiterna, nec ita infirmum eum creavit, ut omnino nihil boni facere possit, ne quem super omnia et propter quem omnia fecerat, omnibus inveniretur esse deterior, nec ita potentem eum creavit, ut etiam sine Dei auxilio ex se ipso facere possit quod vult, ut infirmitatis suae necessitate coactus, semper necessarium habeat dominum suum. Si enim omnis | virtus hominis in Deo est, et tamen contemnit omnium bonorum auctorem, quanto magis negligeret eum, si potentia eius esset in se ipso?» |*

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod «non est proportio intellectus ad sibi | supernaturale», dicendum quod verum est de se per lumen naturae, tamen lumine gratiae bene sit ei proportionale quod est supernaturale, sicut per lumen naturale est proportionale ei quod ex puris naturalibus potest cognoscere. |

Ad secundum, quod «illius luminis gratiae non est susceptibilis per naturam, sed per gratiam solum», dicendum quod verum est, ita quod ex puris naturalibus illud sibi acquirat vel quod naturaliter lumen ipsum sibi inditum habeat. Est tamen ipsius susceptibilis per naturam, quia natura de se ad hoc ordinata est, ut munere creatoris hoc recipiat, et per illud illa quae natura non attingit cognoscat. Unde licet homo non accepit | a natura quod per se ad | illorum notitiam attingat, accepit tamen a natura

ARTICULUS III

ut alterum in se recipiat cuius adiutorio ad | illam attingat. Aliter enim ad illam omnino attingere non posset, secundum quod dicit DAMASCENUS libro De duabus naturis et una persona Christi: *«Impossibile est qualemcumque naturam uti actione, vel operari operationem vel passionem, quorum potentiam non secundum naturam assumpsit, velut non potest germinare terra non secundum naturam accipiens a conditore germinativam potentiam».* |

Ad tertium, quod «oculus corporalis | per nullum supernaturale lumen potest videre quod non potest videre in lumine naturali», dicendum quod non est simile, quoniam praeter sensibilia in lumine materiali sensus non est aliud sensibile omnino, sed praeter intelligibile lumine naturali intellectus est aliud intelligibile ei lumine | supernaturali, quod distat a naturalibus intelligibilibus intellectus et ab ipso intellectu, non sicut | sapor vel odor a visu et a colore, quae nullo modo sunt visibilia, sed sicut visibile excellens distat a visibili temperato et a debili visu, ad quod non potest ipse attingere, nisi lumine clariori illustretur et fortificetur. Unde dicit PHILOSOPHUS in II^o Metaphysicae quod *«intellectus noster se habet ad manifestissima naturae, sicut oculus vespertilionis ad lucem solis».* |

ARTICULUS IV

DE APPETITU SCIENDI

Quia scibilia non sunt facta homini cognoscibilia, nisi ut aliquando ea sciat et cognoscat, ad sciendum autem ea non se extenderet, nisi scire ea appeteret, idcirco postquam visum est de qualitate scibilium ab homine, videndum est de appetitu sive desiderio sciendi in ipso. Et circa hoc quaeruntur novem: primum, si homo appetat scire; | secundum, si omnis homo appetat scire; tertium, si homo naturaliter appetat scire; quartum, si omnes homines aequaliter appetant scire; quintum, si homo appetat scire ea quae notitiam naturalis rationis excedunt; sextum, si homo appetat scire omnia; septimum, si homo aequaliter appetat scire singula; octavum, si sit aliquod unum quod homo principaliter appetat scire; nonum, si propter illud quod homo principaliter appetit scire appetat omnia alia scire. |

QUAESTIO 1

QUAESTIO 1

UTRUM HOMO APPETAT SCIRE

Circa primum arguitur quod homo non appetat scire.

Primo sic. Si homo appeteret scire, aut quod novit aut quod non novit. Nec est medium, quia est divisio per contradictoria inter quae non cadit | medium secundum PHILOSOPHUM in X^o Metaphysicae. Non quod novit, quia eius quod novit iam habet scientiam, secundum enim AUGUSTINUM 83 Quaestionibus in scientiis idem est *nosse* quod *habere*. Appetitus autem non est respectu habitus, sed respectu non habitus, possibilis tamen haberi. Neque quod non novit, quia secundum AUGUSTINUM IV^o De Trinitate «*appetitus ex notitia procedit*». Ergo etc.

Secundo sic. Potentia naturalis non est nata moveri nisi a suo proprio obiecto naturali. Obiectum proprium appetitus naturale non est verum quod movet ad sciendum, sed bonum. Ergo etc.

Contra est quia homo, ut sciat, laborat. Quod non esset, nisi scire appeteret. Ergo etc. |

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc quod ita est in omnibus potentiis activis et passivis ordinatis ad invicem, quod illa potentia quae universalem finem | respicit movere habet alias ad actus proprios illis et inclinare eos in fines proprios illarum, quos sub fine universali respiciunt tamquam fines sibi proprios et particulares ordinatos in finem universalem, qui est proprius finis primi moventis, qui omnia alia ad finem et ad bonum suum obtinendum movet, veluti caelum, quod intendit universalem conservationem generabilium et corruptibilium, movet omnia inferiora, quorum unumquodque agit particulariter ad conservationem suae speciei. Similiter rex qui intendit bonum regni movet barones et ballivos | qui intendunt bonum provinciarum aut civitatum quarundam, et «*architectonica ars movet alias artes, quae sunt sub ipsa*», ut determinat PHILOSOPHUS in principio Ethicorum. Nunc autem ita est quod appetitus rationalis sive voluntas respicit | tamquam suum finem bonum simpliciter ut bonum est, quaelibet autem alia potentia animae aliquod particulare bonum | quod sibi bonum est, sicut visus perfici intentione coloris, intellectus perfici intentione veri, secundum quod dicit AVICENNA in IX^o Metaphysicae suae: «*Dico oportere ut scias quod omnis virtus naturalis habet delectationem et bonum quae sunt sibi propria, et habet nocumentum et malum quae sunt sibi propria.* | Verbi gratia, delectatio irae

ARTICULUS IV

est victoria, et delectatio aestimationis est fiducia, et delectatio conservativae | est recordatio. Appetitus igitur | rationalis in homine sive voluntas movere habet omnes alias potentias animae ad actus suos et in proprios fines. Nihil autem movet ad actus inclinando in finem, nisi appetat finem. Appetit ergo voluntas in homine, immo homo per voluntatem, fines et perfectiones proprias omnium aliarum potentiarum animae comprehendendo sub | actu suo actus omnium illarum et sub fine suo fines omnium illarum. Et est se ipsam movens primo appetens sibi bonum simpliciter et movens omnes alias appetens | non sibi, sed eis bona particularia illis propria, sed hoc intentione ordinandi omnia illa bona in bonum sibi. Cum ergo de numero illarum potentiarum una sit intellectus, cuius obiectum et finis est verum et scire, dicendum quod homo per voluntatem appetit scire, sed secundum intellectum. |

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod «homo non appetit, neque quod novit, neque quod non novit», dicendum quod duplex est appetitus, naturalis et rationalis, quia voluntas et est natura et est ratio. Unde aliquid appetit appetitu naturali, ut est natura, et tali appetit quod omnino non novit, quia appetitus naturalis ut est a natura potentiae volitivae nudae non procedit ex notitia aliqua in appetente, sicut est de appetitu «*materiae, quo appetit formam*», secundum PHILOSOPHUM I^o P H Y S I C O R U M, ubi COMMENTATOR distinguit duplicem appetitum: unum qui est sine cognitione et alterum qui est per cognitionem. Cum vero voluntas appetit aliquid «*appetitu rationali, ille est qui procedit ex notitia*» et de illo loquitur AUGUSTINUS. De quo sciendum quod cum homo appetit scire appetitu rationali, qui fit per cognitionem, scire illud quod appetit, et novit | et non novit, aliter tamen et aliter, quia quod novit imperfecte et in potentia et in universali non novit in actu et perfecte et in particulari, | et appetit scire in quantum non novit et non appetit in quantum novit, sed per illud quod novit excitatur ad appetendum quod non novit, secundum quod dicit AUGUSTINUS X^o D E T R I N I T A T E, ad modum quo dictum est supra de addiscente, qui aliquid novit et per illud movetur ad acquirendum quod non novit. |

Ad secundum, quod «obiectum appetitus non est verum, sed bonum», dicendum quod verum est, quoniam non nisi bonum est obiectum appetitus, sed hoc vel bonum simpliciter, quod est bonum sibi immediate, vel bonum huic, quod est proprium bonum alicuius potentiae sub ipso. Unde obiectum appetitus non est verum ut verum

QUAESTIO 1

sub ratione veri, sed sub ratione boni potentiae inferioris, ut intellectus, et per hoc ipsum appetit, ut dictum est, sicut e converso obiectum intellectus non est bonum voluntatis ut bonum sub ratione boni, sed sub ratione qua verum est. Et ideo istae duae potentiae, voluntas et intellectus, ad invicem sese movent, immo, ut magis proprie loquar, ipsum volentem et intelligentem, quia intellectus concipiendo finem per modum intentionis sub ratione veri proponit ipsum voluntati, quae ab ipso fine | movetur sub ratione boni, et sic intellectus movet voluntatem metaphorice ad modum quo finis movet efficientem. E contra | voluntas movet intellectum proprie et per modum agentis et impellentis in opus, ut dictum est. Et ideo istae duae virtutes reflectuntur super se invicem et super actus suos. Intellectus enim intelligit se intelligere et actum et obiectum suum; similiter voluntatem intelligit velle et actum et obiectum eius. Et e contrario voluntas vult se et actum et obiectum suum; similiter intellectum vult intelligere et actum et obiectum eius. Et sic utrique illorum est obiectum quidquid est obiectum alterius. |

QUAESTIO 2

UTRUM OMNIS HOMO APPETAT SCIRE

Circa secundum arguitur quod non omnes homines appetant scire.

Primo sic. Unusquisque quaerit quod appetit. Sed non omnes quaerunt et laborant scire. Ergo etc.

Secundo sic. Nullus appetit | quod habere renuit. Scire multi renuunt, ut illi qui dicunt Deo Iob XXI^o: «*Recede a nobis, scientiam viarum tuarum | nolimus.*» et Osee IV^o: «*Tu quoque scientiam reppulisti.*» Ergo etc.

Tertio sic. Nullus appetit quod odit. Sed scire multi odiunt Proverbiorum I^o: «*Imprudentes odibunt scientiam.*» Ergo etc.

Contra est quia secundum AUGUSTINUM «*omnes appetunt | esse beatiss.*» Beatitudo autem vel est scientia et notitia quaedam secundum PHILOSOPHUM X^o Ethicorum, vel non est sine scientia secundum AUGUSTINUM I^o De Academicis. Ergo etc. |

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc quod sicut praecedens quaestio est de hominis

ARTICULUS IV

appetitu ut homo est, simpliciter intelligenda de appetitu hominis ratione speciei, ita quaestio ista, quia est de omnis hominis appetitu, intelligenda est principaliter de appetitu hominis ratione individui. Et differt multum de appetitu hominis ut homo est, qui sequitur speciem, et de appetitu hominis ut iste homo est, qui sequitur hypostasim. Et non solum hoc restat in appetitu, sed etiam in aliis actionibus et passionibus animae, secundum quod dicit DAMASCENUS in libro De duabus naturis et una persona Christi: «Naturalis proprietas est quae naturam constituit et dividit speciem a specie. Hypostatica autem est proprietas quae dividit hypostasim ab hypostasi. Et simpliciter dicere, quaecumque omnes homines habent a conditore data naturales sunt proprietates. Differens autem usus hypostaticus est: voluntas et velle naturale est; differens autem voluntas et differens velle hypostaticum». Omnis homo habet posse velle et omnis homo vult, sed non omnis homo similiter vult, quare simpliciter velle est naturale, hoc aliquid et taliter velle hypostaticum. Multum ergo distat ista quaestio a praecedenti. |

Intelligendum ergo, cum appetitus non sit nisi boni, quod sicut species est universale quid et simpliciter ens respectu individui quod est hic et nunc, ita appetitus speciei in quantum huiusmodi est appetitus boni ut est bonum speciei; appetitus vero individui, in quantum huiusmodi est bonum individui hic et nunc. Bonum autem speciei est bonum simpliciter, quia est bonum | naturae quam continet species, et natura semper appetit quod bonum est simpliciter. Bonum vero individui est bonum quod videtur huic sive simpliciter sive delectabile vel utile quod est hic et nunc, quia non est bonum naturae nisi ut in hoc, et quod hoc est appetit quod sibi bonum est. Quia tamen ratio speciei continetur in individuo, bonum speciei est bonum simpliciter individui, licet quandoque ratione individui respicit specialem rationem boni sibi convenientem. |

Cum ergo quaeritur an omnis homo appetat scire, dicendum quod omnis homo ratione qua est homo et continet in se naturam speciei, appetit scire, sicut et homo simpliciter appetit scire, ut dictum est, quia in scire consistit perfectio speciei secundum intellectum. Et unusquisque appetitu qui competit ei ratione speciei perfectionem speciei in se appetit, sicut et ipsa species sibi suam perfectionem appeteret, si esset separata ab individuis. Ratione vero | individui distinguendum quod loquendo de scire simpliciter, omnis homo appetit scire; loquendo autem de scire | aliquod scibile particulare hoc vel illud, non oportet quod omnis homo appetat scire vel hoc vel illud. Cum enim homo ratione individui in quantum huiusmodi non appetat aliquid nisi ut sibi conveniens vel simpliciter, vel ut delectabile vel utile, et scire per se ex

QUAESTIO 2

natura sua sit delectabile et natum delectare quemcumque de quocumque scibili sit — et si non delectet, hoc est per accidens | aliquod existens in individuo vel contingens ipsi ex ipso scire, ut iam patebit, sicut et gustum per se delectat dulce, et si non, hoc est per aliquod accidens existens in gustu vel contingens ipsi ex ipso dulci —, hoc igitur particulare vel illud | omnis homo per se et naturaliter appetit scire in quantum scibile est, et similiter appetitu rationali, si aliquo modo ipsum cognoscat et advertat, et si aliquis scire non appetat hoc particulare scibile vel illud, hoc est per | accidens. Et sicut est de voluntate et appetitu sciendi, sic et aliorum. |

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod «non omnes quaerunt scire», dicendum quod non quilibet appetitus movet ad prosecutionem appetiti, sed fortis quem non potest retrahere contrarius | appetitus. Debilem enim sciendi appetitum habentes retrahit fatigatio ex labore, ne scire quaerant, et ideo contrarius appetitus fortior quiescendi retrahit appetitum discendi, ne ad actum moveat. Nihilominus tamen appetitus | est in eis ad sciendum. Unde et multi non volentes laborare ut sciant, bene vellent scire sine labore. |

Ad secundum, quod «scire multi renuunt», dicendum quod hoc est per accidens aliquod quo informatur repugnans scientiae ut per habitum contrarium, sicut infidelis non desiderat scire scientiam fidei, quia nec in eadem delectatur. Unde dicit AVICENNA IX^o *Metaphysicae* suae: «*Res conveniens praeparata virtuti apprehendenti, si fuerit prohibens vel impediens animam, abhorrebit eam, et eliget | potius contrarium, sicut infirmus aliquis abominatur sapes dulces, et desiderat sapes malos abominabiles per essentiam*». Unde generalem causam quare multi non sentiunt delectationes intellectuales ex scientia, quamvis comparari non debent delectationibus sensus, quia in infinitum excedunt, dicit «*quia nos in hoc nostro saeculo et nostro corpore demersi sumus in multa turpia. Ideo non | sentimus illam delectationem | cum apud nos fuerit aliquid de causis eius, nec allicimur ad eam, nisi prius deposuerimus a cervicibus nostris iugum voluptatis et irae et sorores earum, et degustemus aliquid illius delectationis, et sic fortasse imaginabimus de illa parum aliquid. Sed praecipue cum fuerint solutae quaestiones et revelata fuerint inquisita nobilia, tunc comparatio huius nostrae delectationis ad illam nostram delectationem erit sicut comparatio delectationis sensibilis quae est odorandi odores gustatorum delectabilium ad delectationem comedendi ea*» vel est per accidens aliquod contingens ex scire, sicut peccator non vult scire legem, ne concipiat

ARTICULUS IV

remorsum conscientiae ex ipsa, vel dicuntur scientiam renuere interpretative qui ut sciant nolunt laborare. Nihilominus tamen omnes isti quantum est ex parte scire simpliciter scire vellent. |

Per idem patet ad tertium. Scire enim nullus odit nisi per accidens, ut dictum est. |

QUAESTIO 3

UTRUM HOMO NATURALITER APPETAT SCIRE

Circa tertium, quod homo non appetat scire natura, arguitur primo sic. Quod naturaliter determinatum est ad unum finem non naturaliter inclinatur ad alium. «*Appetitus naturaliter determinatur ad bonum*», quia est proprium obiectum | eius. Ergo non inclinatur naturaliter ad verum. Sed appetitus non appetit naturaliter, nisi ad quod naturaliter inclinatur. Ergo etc.

Secundo sic. «*Natura determinata est ad unum*» solum. Si ergo homo naturaliter appeteret scire, non nisi unum aliquid appeteret scire. Consequens est falsum. Ergo etc.

Tertio sic. Ut dictum est per | AUGUSTINUM, «appetitus | non est nisi ex cognitione». Si ergo homo natura appeteret scire, homo a natura aliquid sciret. Consequens est falsum secundum praedeterminata. Ergo etc.

Quarto sic. Voluntas distinguitur contra naturam II^o Ethicorum. Quare cum homo appetat scire voluntate, non ergo natura.

Contra est quod dicit PHILOSOPHUS in principio Metaphysicae: «*Omnes homines natura scire desiderant*». |

<SOLUTIO>

Ad hoc dicendum secundum PHILOSOPHUM II^o Physicorum quod quaecumque agunt secundum propositum et secundum naturam ambo agunt propter aliquid et propter finem, non secundum quod quidam dixerunt quod omnia naturalia | sunt a casu et quod solum propter finem agerent quaecumque agunt per cognitionem. Nunc autem ita est quod quaecumque agunt propter | finem necessario agunt mota a fine, et ideo intendendo finem, secundum quod dicit PHILOSOPHUS II^o Metaphysicae: «*Nihil incipit agere aliquam actionem nisi intendendo*

QUAESTIO 3

finem» et III^o eiusdem dicit quod «*impossibile est quod ista causa sit in rebus quae non movent erga perfectionem*». Intentio autem et motus erga finem non est nisi propter appetitum finis. In omnibus ergo agentibus propter finem necesse est ponere appetitum finis. Quare cum non omnia agunt propter finem per cognitionem et deliberationem, sed quaedam sine cognitione et deliberatione, ut agentia per naturam, non solum necesse habemus ponere appetitum deliberativum per cognitionem, sed etiam appetitum naturalem sine cognitione, secundum quod dicit COMMENTATOR in fine Iⁱ P H Y S I C O R U M : «*Appetitus alius est naturalis sine sensu, ut appetitus plantarum ad alimentum, et alius cum sensu ut appetitus animalium ad alimentum*». Quia igitur appetitus iste qui est animalis necessario fit per cognitionem et nulla cognitio naturalis est in homine,| ut dictum est supra, tali appetitu non appetit homo scire naturaliter; appetitus autem naturalis, quia fit sine notitia, quodam occulto naturae instinctu per quem scilicet appetitus qui dicitur animalis vadit determinate in finem suum, ut semen tritici ad pullulandum in triticum, et materia mota per agens tendit ad formam. |

Cum igitur, ut dictum est supra, homo ex natura intellectus sui est in potentia omnia intelligibilia, et nihil eorum in actu antequam intelligat, et ita naturaliter imperfectus est, perfectibilis tamen per species intelligibilium, ut per eas actu intelligat et sciat, et imperfectum naturaliter tendit in suam perfectionem,| absolute ergo dicendum quod homo ante acquisitionem omnis notitiae appetitu illo qui non est animalis, sed in ipso pure naturalis naturaliter appetit scire simpliciter, sicut post adeptam aliqualem cognitionem imperfectam appetitu cognitivo appetit scire hoc vel illud, secundum quod imperfectam habet notitiam huius vel illius, ut scientia imperfecta in ipso perficiatur. Et hunc appetitum cognitivum praecedit ille appetitus naturalis sine omni cognitione. De quo appetitu dicit TULLIUS in libro De A C A D E M I C I S : «*Mens ipsa quae et sensuum fons est, et ipsa sensus est, naturalem vim habet quam intendit ad ea quibus movetur, cum nihil ei est veritatis luce dulcius*». |

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod «*appetitus naturaliter determinatus est ad bonum*», dicendum quod verum est, quoniam quod appetit verum, hoc est in ratione qua est bonum intellectus,| et ita verum apud voluntatem habet rationem boni, sicut e converso bonum apud intellectum habet rationem veri, per quae voluntas et intellectus

ARTICULUS IV

apponendo mutuo sua obiecta mutuo se movent, ut dictum est. |

Ad secundum, quod «*natura determinata est ad unum*», | dicendum quod verum est ad unum in genere, quia sub una generali ratione appetibilis, scilicet boni, appetit quidquid appetit. Sicut enim materia secundum quod materia quidquid appetit forma est, non tamen tantum unam formam secundum genus vel speciem appetit, sed generaliter omnes, similiter | voluntas appetit scire generaliter sub ratione qua est bonum intellectus, et ideo omnem scientiam generaliter, ut infra dicitur, quia intellectus omni scientia natus est perfici, ut dictum est supra. |

Ad tertium patet solutio per dicta, quoniam naturalis appetitus purus non est per cognitionem.

Ad quartum, quod «*voluntas distinguitur contra naturam*», dicendum secundum quosdam, quod verum est, et quod homo appetit scire voluntate et natura, alio et alio appetitu | est. Principium enim appetitus naturalis est in ipsa cognitiva potentia per seminarium scientiae, quo naturaliter ad actum sciendi intellectus inclinatur, de quo dictum est supra. Principium autem appetitus cognitivum est ipsa voluntas ex notitia aliquando iam habita, ut dictum est. Sed hoc | falsum est forte, quia idem actus specie secundum idem obiectum non est nisi eiusdem virtutis. Cum igitur actus appetendi quocumque modo sit, non est nisi boni sub ratione boni idem specie est, non est igitur nisi eiusdem virtutis. Voluntas ergo, si appetit ex cognitione deliberative, etiam ipsa non alia potentia appetit naturaliter sine cognitione. Et sicut ex cognitione appetit bonum sibi et | aliis, ut praedictum est, sic et naturaliter sine cognitione. Dicendum est igitur ad obiectum quod voluntas, ut est deliberativa, ex cognitione praecedenti distinguitur contra naturam, non autem voluntas simpliciter et in communi accepta. In illa enim bene distinguitur quod est natura et quod est ratio deliberativa, ut dictum est. |

QUAESTIO 4

UTRUM OMNES HOMINES AEQUALITER APPETANT SCIRE

Circa quartum arguitur quod omnes homines aequaliter appetant scire.

Primo sic. Illi aequaliter appetunt quibus inest aequaliter appetitivum principium, quia effectus proportionaliter sequitur suam causam. Omnibus hominibus aequaliter inest sciendi appetitivum

QUAESTIO 4

principium, ut ipsa | natura animae in appetitu naturali, et notitia primorum principiorum in primo appetitu cognitivo. Ergo etc.

Secundo sic. Appetitus scientiae homini inest propter imperfectionem suam et indigentiam. Sed aequaliter imperfectus est homo quilibet quantum est de se, et indiget scientia. Ergo etc.

Contra est quoniam tunc omnes aequaliter niterentur ad sciendum, quia ubi est aequaliter motivum principium, est et motus aequalis. |

<SOLUTIO>

Ad hoc dicendum quod loquendo de appetitu rationali cognitivo, non est dubium quin homines inaequaliter appetant scire. Unde non omnes ad acquisitionem perfectae scientiae aequaliter nituntur, et illius causa duplex est: una essentialis, alia accidentalis. Essentialis causa est quoniam non omnes aequaliter sunt imperfecta notitia informati qua movetur appetitus ad amplius sciendum. Qui enim plus novit, aliis eisdem retentis, plus appetit nosse quousque in ipso notitia compleatur, et cesset tunc primo appetitus, et motus in fine per quietem in ipso. Quanto enim aliquis de aliquo scibili plus novit citra finem notitiae, tanto plus | fini assimilatur. Quare cum appetitus sit ratione assimilationis imperfectae ad finem, quanto plus novit quis et magis per assimilationem fini appropinquat, tanto magis appetitus inflammatur, et fit fortior eius motus in finem ad modum motus naturalis, qui semper intensior est in fine. Causa vero accidentalis quod appetitu rationali cognitivo non omnes aequaliter appetunt scire multiplex est et indeterminata, quia in quibusdam est indigentia necessariorum, quae causat in eis desperationem | deveniendi ad scientiae perfectionem, per quam retrahitur et refrigeratur appetitus, in quibusdam vero circa temporalia occupatio et plures aliae infinitae.

Loquendo vero de appetitu | sciendi naturali, dicendum secundum praedeterminata | quod aliquid dicitur naturale alicui | ratione formae et speciei vel ratione materiae et individui. Quantum est ex parte formae et speciei, cum ipsa sit uniformiter in omnibus individuis, omnes homines aequaliter scire desiderant, secundum quod dictum est supra quod ratione speciei omnes apti sunt ad sciendum. Quantum vero est ex parte individui et materiae, secundum quod alii sunt minus apti ad sciendum, alii aptiores, ut dictum est supra, secundum hoc quidam plus appetunt scire, quidam | minus, et quidam plus unam scientiam, quidam plus aliam. |

ARTICULUS IV

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod «principium appetendi omnibus aequaliter inest», dicendum quod non est verum in appetitu rationali, quia non omnes aequaliter notitia movente appetitum | sunt informati, neque etiam in appetitu naturali, quantum est ex parte materiae et individui, quia quidam sunt minus dispositi ad scientiam quam alii, propter quod in quibusdam appetitus plus appetit quam in aliis, in quantum anima sequitur dispositiones corporis, et scire non est nisi coniuncti, ut dictum est | supra. Quantum vero ex parte animae sive formae, nisi esset corpore impedita, omnes aequaliter scire appetent, secundum quod aequaliter apti ad scientiam essent, ut dictum est supra, nisi velit aliquis dicere quod anima meliorum naturalium uni corpori infunditur quam alteri, de quo non debet esse ad praesens sermo. |

Ad secundum, quod «imperfectio est causa appetitus», dicendum quod imperfectio, in quantum dicit carentiam, est causa appetitus per accidens, sicut privatio formae in materia per accidens est causa generationis. Sed in appetitu cognitivo id quod cognitum est incomplete per se est causa appetitus. Cum igitur illud non sit aequaliter in omnibus, nec appetitus cognitivus, ut dictum est, aequaliter inest. Similiter in appetitu naturali ipsa carentia notitiae pura non est causa appetitus nisi per accidens. Sed inclinatio ad scientiam per principium intra est causa per se appetitus, quae in omnibus aequalis est ex parte formae, sed in quibusdam impedita est plus ex parte materiae, in quibusdam vero minus, ut dictum est. Et ideo appetitu naturali, quantum est ex parte formae, omnes aequaliter scire appetunt, non autem ex parte materiae, ut dictum est. |

QUAESTIO 5

UTRUM HOMO APPETAT SCIRE EA QUAE NOTITIAM NATURALIS RATIONIS EXCEDUNT

Circa quintum arguitur quod homo non appetat scire ea quae notitiam naturalis rationis excedunt.

Primo sic. Appetitus naturalis non excedit potentiam naturae, quia oritur ex ipsa, et effectus non transcendit causam. Quare cum potentia naturae non potest attingere illa quae eam excedunt, neque eius appetitus ut ea appetat.

QUAESTIO 5

Secundo sic. Frustra res habet | desiderium ad quod non potest attingere; sed ratio naturalis non potest attingere ut cognoscat quae eam excedunt; ergo frustra haberet ad sciendum illa desiderium. Sed nullum desiderium naturale est frustra. Ergo etc.

Tertio ex eodem medio contrario | modo argumento AVERROIS super principium IIⁱ M e t a p h y s i c a e sic: «Comprehensio veritatis eius *non est impossibilis*, cuius habemus desiderium naturale sciendi, quoniam *si esset impossibilis*, tunc desiderium esset *otiosum*». Et concessum est quod «*nulla res est otiosa in fundamento naturae et creaturae*». Sed comprehensio veritatis a ratione naturali eorum est impossibilis quae excedunt eam. Ergo ad sciendum illa non est ei desiderium naturale.

Quarto sic. Si homo ex puris naturalibus appeteret illa scire, cum vanus | esset appetitus nisi posset illa scire, nec appeteret illa scire nisi cognosceret se posse illa scire, ergo oporteret ex puris naturalibus se cognoscere quod posset illa scire. Sed hoc non est nisi ex fide. Ergo ex puris naturalibus posset fides haberi. Consequens est falsum. Ergo etc.

Ad oppositum arguitur primo sic. Quod naturaliter est in potentia ad aliqua naturaliter desiderat fieri in actu illa, sicut patet de materia | ad omnes formas ad quas est in potentia, quod naturaliter illas desiderat. Sed homo naturaliter est in potentia, ut sciat omnia, etiam illa supernaturalia, ut dictum est supra. Ergo etc.

Secundo sic. Omnes homines secundum AUGUSTINUM natura desiderant beatitudinem, non nisi illam quae vera est, quia natura non desiderat nisi quod melius est et bonum simpliciter. Unde BOETHIUS: «*Mentibus hominum inserta est summi veri et boni cupiditas*». Sed bona beatitudinis sunt supra notitiam naturalis rationis. Ergo etc. |

<SOLUTIO>

AVERROES, COMMENTATOR PHILOSOPHI, qui exponens illud IIⁱ M e t a p h y s i c a e, «*dispositio intellectus in anima*» etc., ponit quod homo ex naturalibus suis possit devenire, ut intelligat primum | principium et principia separata post ipsum, diceret quod desiderium hominis esset ad sciendum ea, nec sine illorum adeptione cessaret appetitus. Sed hoc licet verum sit, tamen error est illud ex quo ponit. Ponit enim quoniam ex pura cognitione naturali quae est ex phantasmatis de rebus sensibilibus possibile sit devenire in cognitionem quidditatis | substantiarum separatarum, quod erroneum est, quia medium cognoscendi ex phantasmatis limitatum est, ut de substantiis separatis

ARTICULUS IV

ex sensibilibus sicut ex effectibus | earum, amplius non potest homo cognoscere nisi quia sunt, non autem quid sunt nisi in generali, et remanet omnino cognoscendum quid in | natura et in substantia sunt in speciali. Cum enim effectus exteriores sunt | effectus artis sive substantiae separatae ut ars est, non autem essentiae ut essentia est, in notitiam artis ducere possent ut ars est, non autem in notitiam essentiae ut essentia est. Limitata est ergo in hoc notitia naturalis, ut ad illa cognoscenda attingere non possit, nec ad hoc se extendit lumen agentis, | ut dictum est.

Philosophi vero ponentes finem humanae cognitionis ex puris naturalibus haberi et in | vita ista ex cognitione scientiarum speculatarum et primorum principiorum quantum homini possibile est, et quod in modica cognitione divinorum consistit eius summa perfectio et delectatio, licet non possit attingere ad quidditates substantiarum separatarum et eorum quae apud illas sunt, dicerent quod homo nullum appetitum haberet sciendi illa, ex quo ex suis naturalibus ad ea pervenire non posset, ne ille appetitus esset frustra. |

Sed quod hoc non potest stare apparet triplici via. Prima ex parte intellectus humani, quoniam secundum philosophos ipse est in potentia omnia intelligibilia, sicut sensus sensibilia, et hoc nec solum omnia intelligibilia ex sensibilibus abstracta, sed etiam ex se separata. Cum enim secundum PHILOSOPHUM «illa nobis sunt *difficile* intelligibilia, *non propter se, sed propter nos*», «*non tamen*», ut ibi dicit COMMENTATOR, «sunt *impossibilia nobis intelligi*». Frustra enim essent facta nobis intelligibilia et numquam ea intelligere possemus, | *sicut frustra esset sol* factus nobis visibilis, si eum nullo modo videre possemus. Sed ita est quod sicut prima materia, si esset in potentia ad formas, ut quasdam posset recipere opere naturae et alias non posset recipere nisi opere supernaturali, omnes tamen tam has quam illas, naturaliter appeteret, sic intellectus humanus, cum sit in potentia ut perficiatur notitia rerum naturalium, quam potest sua actione naturali attingere, et similiter supernaturalium, quam solum potest supernaturaliter attingere, naturaliter appetet tam istam notitiam quam illam, ut nec solum homo ante adeptionem | scientiae rerum naturalium appetat illarum notitiam, immo post adeptionem scientiae rerum naturalium appetat etiam notitiam rerum supernaturalium. |

Secunda via patet idem ex parte scientiae incompletae quam habet ex rebus naturalibus ad illa superiora cognoscenda, quoniam omne imperfectum quod se experitur imperfectum in aliquo actu desiderat consequi perfectionem in illo, quoniam notitia imperfecta de aliquo necessario excitat intellectum bene dispositum ad desiderandum eius

QUAESTIO 5

perfectionem. Nunc autem experimur in nobis notitiam imperfectam separatorum ex effectibus eorum, scilicet notitiam quia sunt, et quid sunt in generali, quae est imperfecta | respectu notitiae eorum quid sunt in speciali, sicut in complexis imperfecta est notitia quia est, ut quod sol eclipsatur, nisi sciatur quare eclipsatur. Quare necessarium est quod homo desideret consequi illam notitiam perfectam. Ex hoc ergo quod homo aliqua | ex creaturis sensibilibus cognoscat de Deo et separatis, non quiescit eius desiderium, sed necessario | excitatur magis ad cognoscendum illa, ad quae tamen naturaliter attingere non potest. Semper enim effectus cognitus incitat appetitum ad cognoscendum causam ignotam, secundum quod dicit I^o *Metaphysicae* de primis philosophis quod videntes a principio effectus apparentes et deficientes in cognitione causarum, ut de lunae passionibus et quae fiunt circa solem et astra, admirati sunt, et «*propter id quod est admirari, tunc primum inceperunt philosophari*». | Et constat quod hoc non erat, nisi quia ex eis quae noverunt excitatus est in eis appetitus ad cognoscendum ea quae latere eos perceperunt.

Et ex hoc aperte apparet tertia via. Non enim solum est in homine desiderium ad percipiendum imperfectam notitiam quam experitur in se, sed etiam ad expellendam illam quam in se experitur ignorantiam, secundum quod etiam dicitur ibidem: «*Propter id quod est fugere ignorantiam philosophati sunt*». Quare cum homo ex effectibus creaturarum experitur esse illa quae naturalem eius cognitionem excedunt, et scit naturam et quidditatem eorum sibi esse ignotam, impossibile est quod appetitus eius non tendit ad illa cognoscenda, et tanto magis quanto plura circa illa per creaturas experitur, et cognoscit ex hoc suam incompletam cognitionem et ignorantiam, ut praedictum est. |

Absolute ergo dicendum quod homo appetit scire ea quae naturalis rationis notitiam excedunt, ita quod per naturam quiescere non potest humanus appetitus, quousque deveniat ad apertam notitiam separatorum, maxime quidditatis et essentiae eius qui est prima veritas, ita quod nihil citra ipsam sedare posset eius appetitum, etiam si videat clare omnes substantias angelicas, immo tunc adhuc amplius desiderium eius ad nudam divinam essentiam videndam excitaretur, quanto esset propinquior fini, et ei magis assimilaretur, secundum quod videmus corpora moveri ad loca sibi naturalia, et tanto velocius | moveri quanto magis appropinquant fini. Nullum | ergo firmiter scibile potest quietare appetitum hominis in sciendo, | sed solummodo illud infinitum in summo cardine rerum constitutum. Cum enim anima naturaliter capax sit summi boni per affectum et summi veri per intellectum, minori

ARTICULUS IV

impleri non potest, quia quod potest capere maius non potest impleri minori, sed semper maneret | aliquid de vacuo quod appeteretur impleri, et ita adhuc etiam non esset quies. Et ideo dicit beatus AUGUSTINUS in principio *C o n f e s s i o n u m*: «*Tu excitas ut laudare Te delectet, quia fecisti nos ad Te et inquietum est cor nostrum donec quiescat in Te*».

Revera magna est confusio philosophorum, qui haec omnia videre poterant, immo quia necessario viderunt et in se ipsis experimentati sunt, et tamen in infimis perfectionem humanae notitiae posuerunt. Unde et multi eorum | ex desiderio quod perceperunt hominem habere ad illa cognoscenda, | bene perceperunt quod notitia illarum non esset homini impossibilis, quoniam «desiderium *naturale non* potest esse frustra neque *otiosum*», ut manifeste concludit AVERROES super II^{um} *M e t a p h y s i c a e*. Et ideo multis et variis modis, sed erroneis conati sunt ostendere quomodo homo ad perfectam notitiam illorum posset in vita ista pervenire. «*Viderunt enim bene*», ut dicit AUGUSTINUS *S u p e r I o v i a n u m*, «*quo oportebat tendere, sed viam ignoraverunt*», quae est via fidei, | qua oportet prius oculum mentis purgari, ut tandem ad illorum notitiam homo mereatur pervenire, | non per naturam, sed per gratiam, nec in hac vita nisi forte ex privilegio speciali, sed in futura. Errabant ergo dicentes separata quoad essentias et quidditates suas cognosci posse ex puris naturalibus, plus dando naturae quam habuerit. | Errabant etiam dicentes quod quidditates illae clare ab homine cognosci non possent, quia ex naturalibus ad illas non posset attingere, denegando naturae quod habuit, scilicet potentiam receptivam illius ex dono alterius. Medium est ergo tenendum, scilicet ut notitiam illorum recipere poterit, sed quod propria actione ad illam attingere non poterit. |

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod «appetitus non excedit potentiam naturae», dicendum quod notitia illorum non excedit potentiam naturae, quin naturalis ratio illa cognoscere potest, licet ex puris naturalibus ad illorum notitiam non possit attingere, sed solum per gratiam et adiutorio luminis infusi. Nunc autem appetitu naturali et cognitivo non solum inclinatur res ad illud quod per se potest attingere, sed etiam ad illud quod naturaliter ordinatur, ut dono alterius | attingat illud. Licet enim non nisi dono alterius ad illud attingat, nihilominus tamen oportet quod in se naturalem potentiam habeat qua attingere possit, secundum quod dicit IOANNES DAMASCENUS in libro *D e d u a b u s n a t u r i s* et

QUAESTIO 5

una persona Christi contra illos | qui dicunt quod homo de se nullam habet volitivam potentiam, sed a Deo habet bonam voluntatem, malam autem a diabolo. Dicit enim quod «isti ignorant quod *impossibile est qualemcumque naturam uti actione cuius potentiam non secundum naturam accepit*».

Et per idem patet ad secundum.

Et similiter ad tertium, quod est ex dicto AVERROIS principio IIⁱ Metaphysicae, qui ex hoc probavit quod separata possunt ab homine cognosci quid sunt, et verum est, sed non ex puris naturalibus illorum notitiam acquirendo, sicut ipse aestimavit, sed ex dono gratuito.

Ad quartum, quod «ratio naturalis iudicat impossibile hominem illa cognoscere», dicendum quod falsum est, licet philosophi illud opinati sunt, qui non ponebant hominem elevari per gratiam ultra id quod posset per naturam.

Ad quintum, quod «cognoscere se posse illa scire non est nisi ex fide», dicendum quod non est verum. Immo ex puris naturalibus posset illud cognoscere. Posset enim ex puris naturalibus scire se ad illorum notitiam per se venire non posse et ignorantiam eius experiri et scire quod intellectus hominis esset in potentia ad illa cognoscenda, et ita quod naturaliter illorum notitiam appetere. Et si stetisset philosophus in hoc, nec nimium praesumendo a recta ratione errasset, cognoscens propriam infirmitatem, et ignorantiam, et imperfectionem, compulsus fuisset divinum adiutorium invocare, et percepisset donum quo sciret quomodo ad illorum notitiam ascendere deberet. Sed nunc de proprio ingenio confidens et arrogantia excaecatus in errores | a recta ratione deviauit, vel confidendo quod propriis viribus illam notitiam attingere posset vel quod omnino eam percipere non posset, et ita ab eius perceptione in desperationem cecidit. Et per hoc nec se notitiam illorum appetere percepit, quia bene percepisset, si se in naturali rectitudine tenuisset.

QUAESTIO 6

UTRUM HOMO APPETAT SCIRE OMNIA

Circa sextum arguitur quod homo appetat scire omnia.

Primo sic. Sicut materia est in potentia ad omnes formas particulares materiales, sic intellectus humanus est in potentia ad omnes formas | universales et spirituales. Sed «*materia omnes formas | materiales appetit*» secundum PHILOSOPHUM in fine Iⁱ Physicorum.

ARTICULUS IV

Ergo humanus intellectus appetit omnes formas universales et spirituales, non nisi ut eis perficiatur ad omnem scientiam. Ergo etc.

Secundo | sic. Homo appetit scire ea ad quae est imperfectus et in potentia. Homo est imperfectus respectu scientiae omnium, et in potentia, secundum quod patet ex praedictis. Ergo etc.

In contrarium est quoniam, cum appetitus naturalis non potest esse otiosus et frustra, si homo appeteret scire omnia, ille appetitus eius posset impleri, et ita posset homo esse perfectus scientia omnium, et in hoc parificari Deo, quod est impossibile. |

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc secundum PHILOSOPHUM quod «*scire* contingit *dupliciter*, indeterminate et in *universali*, aut *determinate* et in *particulari*». Consimiliter distinguendum est de appetitu scientiae, quod est appetitus indistinctus et in *universali*, alius vero distinctus et in *particulari*, et similiter quod alius est rationalis per cognitionem, alius vero naturalis sine cognitione. Primo modo, | scilicet appetitu indistincto et in *universali*, bene contingit quod homo appetat scire omnia vel appetitu rationali, et hoc per aliquam eius generalem notitiam sub qua continetur notitia cuiuslibet particularis, vel etiam appetitu naturali qui est ad scientiam simpliciter, secundum quod homo iustus omnibus vult bonum, et «*Deus vult omnes homines salvos fieri*».

Secundo modo, scilicet appetitu distincto et in *particulari*, non contingit quod homo appetat scire omnia, et hoc appetitu rationali, quia non potest homo per cognitionem ad omnia simul se convertere, sicut si navis haberet plurima foramina, singula posset homo unus obturare, | non omnia simul, quia non habet homo nec potest habere simul determinatam inclinationem ad singula et omnia scibilia, quod oporteret, si appetitu determinato et in *particulari* omnia scire appeteret. Loquendo autem de appetitu naturali tali appetit scire omnia in quantum ad ipsa est in potentia, sed hoc quoad rerum cognitionem secundum species quae sunt de universi perfectione essentiali ordine, non autem secundum individua. |

<AD ARGUMENTA>

Per haec patent duo argumenta ad primam partem. Licet enim homo imperfectus sit et in potentia ad scientiam omnium, et ideo appetit appetitu naturali omnia scire eo modo quo est in potentia ad ipsa

QUAESTIO 6

et quo natus est ipsis perfici, quod est in particulari, sicut materia | de se indifferenter appetit omnem formam, quia tamen appetitu rationali non habet inclinationem ad omnia simul nisi in universali, ideo non nisi in universali appetitu rationali potest omnem scientiam appetere. Sicut enim materia universaliter appetit perfici qualibet forma, non tamen in particulari fertur in aliquam adipiscendam nisi determinata per agens extra, ut quando est sub forma aquae, igne agente extra fertur ad formam ignis determinate adipiscendam, non ad aliam, consimiliter intellectus appetitu rationali non fertur in aliquod particulare cognoscendum, nisi cum fuerit determinatus eius notitia universali. |

Ad illud in oppositum, quod | ille appetitus esset otiosus, dicendum quod non esset otiosus, | licet numquam impleteretur, sed si non esset possibilis impleri. Nunc autem possibilis est impleri in homine, saltem in postrema felicitate per gloriam, omnia videndo simul in veritate prima. | Nec tamen | aequiparabitur notitiae Dei, quia ad claritatem et limpeditatem visionis divinae creatura non posset attingere, neque etiam ad numerum cognitorum, quia Deus actu habet notitiam secundum numerum omnium quorum | speciebus natus est intellectus creatus perfici, cui accidit quod notitia plurium individuorum sub eadem specie perficitur, nec posset perfici infinitis simul. |

QUAESTIO 7

UTRUM HOMO AEQUALITER APPETAT SCIRE SINGULA

Circa septimum arguitur quod homo aequaliter appetat scire singula.

Primo sic. Homo aequaliter appetit illa ad quae per indifferentiam se habet, quia si aliqua inaequaliter appeteret, non se haberet ad illa per indifferentiam. Sed homo, quantum est de se, per indifferentiam se habet ad omne scibile, quia nullius notitiam habet naturaliter. Ergo etc.

Secundo sic. Quorum est una et eadem ratio appetendi, et aequalis appetitus, quia non variat appetitum nisi diversa ratio in appetibili. Sed sub una et eadem ratione intellectus appetit quaecumque appetit scire, scilicet sub ratione veri. Ergo etc.

Ad oppositum est quoniam sicut est appetitus cognoscendi respectu veri, ita appetitus fruendi respectu boni. Sed homo non aequaliter appetit frui quolibet bono, sed magis uno quam altero. Ergo non aequaliter appetit scire omne verum. |

ARTICULUS IV

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc quod appetitus natus est sequi duo, et dispositionem appetentis et qualitatem appetibilis, et utrumque natum est diversificare | appetitum. Propter quod non contingit quod homo aequaliter appetat singula, quoniam impossibile est quod aequaliter sit dispositus ad singulorum notitiam, neque etiam singula scibilia aequaliter nata sunt movere appetitum eius. Est ergo primo impedimentum ex parte hominis appetentis, deinde ex parte scibilium.

Ex parte hominis vero est impedimentum et ex | parte speciei et formae et ex parte corporis et materiae. Ex parte enim speciei et formae, scilicet animae rationalis, contingit diversitas et quoad appetitum naturalem et quoad appetitum cognitivum. Quoad appetitum naturalem contingit diversitas, quia ipsa non est naturaliter ordinata ad aequaliter singula scienda, sed quaedam prius, quaedam posterius, quaedam clarius, quaedam minus clare, ut patet ex praedeterminatis. Et ideo naturali appetitu plus appetit et primo scire quae prius natus est scire et clarius, ut prius prima principia quam posteriora et cetera per ordinem quem habent ad prima principia. Quoad | appetitum cognitivum contingit diversitas ex parte animae rationalis, quia plus appetit quisque scire, aliis eisdem retentis, de quo maiorem habet notitiam, quia, ut dictum est, cognitum imperfecte semper excitat appetitum ad amplius sciendum seu cognoscendum. Unde homines semper appetunt plus scire et audire qualia audire consueti sunt, ita quod contrarium eius quandoque audire non delectat, «secundum quod *consuetis* audire | *apologos et fabulas*, illae magis sunt *applicabiles eis quam suae veritates*», ut dicitur II^o M e t a p h y s i c a e.

Ex parte vero corporis et materiae contingit diversitas, quoniam dispositiones in corpore variant desiderium, ut dicit PHILOSOPHUS IX^o M e t a p h y s i c a e, et ut dicitur in S e x p r i n c i p i i s: «*anima coniuncta complexionibus corporis concomitatur*». Unde secundum quod penes | corporis qualitates quidam aptiores sunt ad unam scientiam | quam ad aliam, ut dictum est supra, | secundum hoc quidam appetunt unam scientiam plus scire quam aliam, et diversi diversas. Unde in quibus abundant sensitivae virtutes magis apti sunt ad naturalia et | ea plus appetunt scire, in quibus vero imaginativa, mathematica, in quibus vero aestimativa, leges et moralia, in quibus vero cogitativa, rationalia, in quibus vero intellectiva ex corporis temperantia, divina. |

Ex parte vero scibilis | est diversitas, quia quaedam scibilia prius et clarius nata sunt sciri, et ideo naturaliter prius appetit homo illa scire,

QUAESTIO 7

ut dictum est, et appetitu cognitivo similiter homo appetit magis scire illa in quibus invenit clariores veritates. Et ideo plus appetit scire mathematica quam alia, postquam aliqua in eis cognoverit. Et ideo instructi in philosophia non possunt proficere in legibus, quia post subtiles veritates perceptas in philosophia non delectant | illa grossa et rudia. |

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod «homo se habet per indifferentiam ad omnia scibilia», dicendum quod verum est quoad hoc quod nullam scientiam habet naturaliter, non tamen quoad hoc quod indifferenter natus est inclinari per appetitum ad singula scibilia, ut dictum est. |

Ad secundum, quod «omnia appetit scire sub ratione veri», dicendum quod verum est. Illa tamen ratio veri diversimode invenitur in diversis scibilibus, propter quod appetitus diversimode inclinatur ad diversa scibilia, et ipsa diversimode nata sunt movere appetitum, ex quibus contingit, ut dictum est, quod homo inaequaliter appetit scire diversa. |

QUAESTIO 8

UTRUM SIT ALIQUOD UNUM QUOD HOMO PRINCIPALITER APPETAT SCIRE

Circa octavum arguitur quod non sit aliquid unum scibile quod homo principaliter appetat scire.

Primo sic. Si esset unum scibile quod homo principaliter scire appeteret, diversi studia sua non diversificarent, sed omnes ad scibile illud sciendum tenderent. Consequens falsum est, ergo et antecedens. Consequentia patet, quia unusquisque studio suo tendit ad illud quod principaliter scire appetit, nisi alias sit distractus aut impeditus.

Secundo sic. Ubi potest procedere appetitus in infinitum, non est aliquod primo et principaliter appetitum, quia in infinitis non est primum. Sed in sciendo potest appetitus procedere in infinitum; potest enim velle scire species | numerorum per ordinem, et illae procedunt in

ARTICULUS IV

infinitem. Ergo etc.

Contra est quia sicut se habet bonum ad affectum, sic verum ad intellectum. Sed ex parte affectus est unum bonum quod homo principaliter appetit ut proprium bonum affectus, sicut est bonum quod est ultimus finis operandorum. Ergo ex parte intellectus est unum verum quod homo principaliter appetit ut proprium bonum intellectus, quod est primum scibile, quia principium in speculativis est sicut finis in activis secundum PHILOSOPHUM. |

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc quod sicut necesse est ponere aliquid «*in unoquoque genere*» quod per se et primo et perfectius in se habet naturam generis illius a quo et per cuius participationem «habent ipsam *omnia alia quae sunt illius generis*», ut vult PHILOSOPHUS, X^o *Metaphysicae*, sic necesse est se habere in genere appetibile quod | in omni genere appetibile | sit aliquid unum primo et propter se appetibile, et propter illud omnia | alia appetuntur, quo subtracto non est quod intendatur, et quod moveat appetitum, ita quod non incipiat operari ad prosequendum appetitum. Si enim hoc appeteretur propter illud, et aliud propter aliud, et nihil propter se, iret processus | in infinitum. Quare cum | in infinitis non est ponere ultimum neque primum omnino, ut vult PHILOSOPHUS in II^o *Metaphysicae*, homo aut nihil appetit omnino aut est aliquid | quod primo et per se appetit. Et qua ratione hoc contingit in appetitu et appetibili quibuscumque aliis generaliter, eadem ratione in appetitu cognoscendi et scibili specialiter. Quod etiam patet ratione speciali in appetitu sciendi, qui in homine causatur ex actu sciendi, quoniam quandocumque aliquid in suo actu movetur | semper magis ac magis intendendo motum, hoc non est, nisi quia mobile ipsum ad finem motus continue secundum maiorem et maiorem assimilationem appropinquat, ut dictum est supra. Cum ergo contingat in motu hominis in sciendo, quod procedendo magis ac magis in sciendo semper magis ac magis intenditur | sciendi appetitus, ut praedictum est, hoc non est, nisi quia semper fini quem intendit magis ac magis continue assimilatur, secundum quod ei magis ac magis appropinquat. Quare cum non possit appetitus procedere intendendo in infinitum, necessario est hominis aliquis finis determinatus quem sciendo attingere appetit, in quo cum sciendo perventum fuerit, cessabit in eo omnino appetitus sciendi aliquid ulterius. Hoc autem non potest esse, nisi quia scitum illud sit summum et perfectissimum scibile homini,

QUAESTIO 8

ultra quod non est aliud, quod non est nisi primum scibile et prima veritas — nisi forte dicat aliquis quod suprema creatura intellectualis habet pro intelligibili scibili illud quod est simpliciter summum et perfectissimum, homo vero, quia est inferior creatura intellectualis propter debilitatem intellectus sui ad cognoscendum maximum intelligibile, sicut debilis est oculus noctuae ad comprehendendum lucem solis, habebit pro intelligibili sibi perfectissimo aliquod inferius.

Quod non potest stare duplici ratione. Prima ex ordine rerum, quoniam cum omnis creaturae finis Deus sit, in quantum quaelibet creatura eius similitudinem participat quantumcumque modicum, homo autem, quamquam infima creatura sit inter intellectualia, superior tamen est omni creatura carente intellectu, et ideo ad ipsum tamquam ad finem suum ultimum perfectius attinget quam quodlibet aliud carens ratione, cum igitur unumquodque suum finem ultimum perfectissimum natum est attingere sua operatione perfectissima et perfectius aliis operatione illa qua excedit alia, cumque operatio hominis | perfectissima, qua excedit alia, est operatio intelligendi vel ipsa immediate disponit ad illam, sicut si illa sit aliqua operatio voluntatis, necessario operatione sua intelligendi attinget | ad illud summum et ultimum intelligibile. Quantumcumque enim modicum et minus attingat illud quam substantiae intellectuales superiores, hoc erit ei maior delectatio quam per cognitionem summe attingere quodcumque aliud intelligibile inferius. Unde dicit AVERROES super XI^{um} Metaphysicae quod «*quaestio de intellectu divino desiderata est sciri naturaliter ab omnibus*».

Insuper est secunda ratio ad idem ex natura intellectus humani, quoniam quantumcumque illud aliud intelligibile ab intelligibili primo, quod attingere posset, esset perfectum, tamen, cum intellectus humanus perciperet ipsum esse causatum, amplius accenderetur appetitus eius ad sciendum illud quod est causa eius. Aut igitur appetitus humanus in sciendo non stabit, sed semper intensius ulterius curret, aut stabit intelligendo illud summum intelligibile. Quare cum impossibile est ullum appetitum | currere in infinitum extendendo se vel semper anhelando ad completum, et tamen | numquam compleatur, | necesse est ponere quod illud summum intelligibile intelligendo aliquando attingat, si recto ordine et rationabiliter procedat. Hoc autem non est nisi unum, scilicet prima et summa veritas, causa omnium, non causata, quae Deus est, *qui solus potest in bonis | replere desiderium nostrum*, de quo dicit AUGUSTINUS XIX^o De civitate Dei: «*Finem hominis dicimus, non quod consumatur ut non sit, sed quod perficiatur ut plenius sit*». Sine illo autem plenus fieri non potest; quod enim capax est maioris minori repleri non potest. Absolute igitur est dicendum quod unum est | scibile quod

ARTICULUS IV

homo principaliter scire appetit, quod est prima et summa veritas. |

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod non omnes ad illud studio tendunt, dicendum quod sicut est in appetitu boni quod omnes bonum appetunt et finem ultimum boni, in quantum appetunt suam imperfectionem adimpleri, quod non potest esse aut fieri nisi per actionem ultimi finis — unde et licet rationem huius actionis non omnes in eo quod est ultimus finis ponunt, ut quidam in honoribus, quidam in divitiis, et ceteri in ceteris, omnes tamen quod sic appetunt sub ratione ultimi boni appetunt, quia continet in se rationem | omnis appetibilis —, similiter est in appetitu veri ultimi. Dicendum igitur quod omnes ipsum appetunt in quantum in sciendo quodcumque sit suam sufficientiam ponunt, quia hoc verum ultimum in se habet omnem omnem rationem veri, et nullum aliud verum aliquis affectat scire, nisi in quantum aliquam rationem huius veri in se continet, et ita in quodlibet aliud appetendo non nisi istud appetit. |

Ad secundum, quod «in scibilibus procedit appetitus in infinitum», dicendum quod scibilium quaedam sunt ordinata adinvicem per se et essentialiter, ut principia et principiata, — in talibus non est processus in infinitum, ut in demonstrationibus, sicut probat PHILOSOPHUS I^o Posteriorum, «quia ex *infinitis non* contingeret *scire*», ut dicitur II^o Metaphysicae, et talis est ordo omnium aliorum scibilium ad scibile primum —, quaedam vero sunt ordinata accidentaliter, quorum unum non scitur per alterum, in quibus non est ponere ultimum in suo genere, quia processus procedit in infinitum, ut est reflexio intellectus super suos actus, quia intellectus intelligit se intelligere et intelligit actum suum primum quo intelligit et illum quo intelligit se intelligere, | et sic in infinitum. Et talis ordo est in speciebus numerorum, quia accidit praecedenti speciei numeri quod ei addatur unitas ut fiat nova species, nec est una species principium et causa intelligendi alteram. Et in talibus non contingit scire ex aliquo ultimo aut primo scibili quod sit in suo genere, ut propter illud omnia alia sciantur, quia nullum est tale. Contingit tamen scire omnia talia, quantumcumque procedatur | ex eis in infinitum, aliquo uno extra suum genus, et propter illud, cuiusmodi est scibile primum, quod est veritas pura, quia habet in se rationem cuiuslibet numeri et infinitarum specierum numeri. |

QUAESTIO 9

QUAESTIO 9

UTRUM PROPTER ILLUD QUOD HOMO PRINCIPALITER APPETIT SCIRE APPETAT OMNIA ALIA SCIRE

Circa nonum arguitur quod propter illud quod homo principaliter appetit scire non appetit scire alia.

Primo sic. Propter illud quod primam et perfectam habet rationem scibilis non est appetendum aliud scire, quia non eget alio ut sciatur, sed e converso alia indigent eo ut sciatur. Quod homo principaliter appetit scire est huiusmodi. Ergo etc.

Secundo sic. Quae appetit homo | scire | tamquam vergentia in suam damnationem non appetit scire propter principale scibile, quia istud ordinatur ad omnium salutem. Multa talia appetit homo scire, ut patet. Ergo etc.

Tertio sic. PHILOSOPHUS I^o *Metaphysicae* vult quod scientia speculativa est propter se ipsam. Non ergo homo appetit eam scire propter istud scibile.

Quarto sic. Multa alia appetit homo scire non cogitans | de hoc scibili. Quod non esset, si appeteret illa propter istud. Ergo etc. |

Contra est illud AUGUSTINI XIX^o *De civitate Dei*: | *«Illud est finis propter quod amantur cetera»*. Propter quod amantur appetuntur. Quare cum hoc scibile finis est scientiae humanae, ut dictum est, propter illum cetera appetet scire. |

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc quod appetibilibus ordinatis ad aliquid unum, ut ad ultimum appetibile et finem, necesse est omnia alia appeti propter illud ultimum appetibile, ut scilicet mediantibus illis ascendat homo ad ultimum. Cuius ratio est quia nullum aliorum habet rationem appetibilis, nisi in quantum ratio ultimi appetibilis in ipso | relucet. Sicut ergo in appetitu boni quidquid appetitur, appetitur sub ratione boni, et ideo necesse est quod appetatur aut tamquam bonum perfectum, quod est ultimum et finis, aut tamquam tendens in ultimum et finem, consimiliter in appetitu veri in sciendo | quidquid homo appetit scire, illud appetit sub aliqua ratione veri, et ideo necesse est quod illud appetat tamquam ultimum verum, quod est finis, aut tamquam verum tendens in verum ultimum ut in | finem; quod si sit ultimum, ut in eius cognitione sit status, si vero sit ad ultimum, ut eius cognitio sit gradus et via ascendendi ad notitiam veri ultimi. Semper enim imperfectum in quo est

ARTICULUS IV

alicuius perfectionis inchoatio ordinatur ad illud in quo est ipsa perfectio. Et ideo dicit CHRYSOSTOMUS super illud *Matthaei*, «*Et ecce centurio*»: «*scriptura infallibilis de Deo creatura est omnium rerum, quia nihil creatum est in mundo per quod non manifestissime Deus ostenditur*». Et hoc quod tale est et ultimum est ultimo ab appetitu | prosequendum et primum movens appetitum, per quod movent omnia alia appetibilia ordinata ad ipsum tamquam causae secundae, quae non moverent nisi motae a primo movente, et non nisi in ordine ad ipsum. Unde et sicut appetitus principalis est illius quod est ultimum quam alicuius aliorum, sic est aliorum per ordinem; semper enim est amplius et principalis quanto immediatius se habent et propinquius ad illud appetitivum. |

Et est advertendum quod propter ultimum appetuntur alia quae sunt ad ipsum dupliciter: et formaliter et finaliter. | Primo formaliter, quia non appetuntur alia, nisi quia in se habent rationem et formam ultimi quodammodo, licet imperfectam, ut omne verum rationem primi veri et omne bonum rationem primi boni, quia omne aliud verum et bonum est sicut quaedam impressio primi veri et boni, per cuius rationem movet appetitum et intellectum. Et ideo secundo finaliter appetuntur propter ultimum verum et bonum, quia per ipsa tamquam per imperfecta proficiscitur appetitus quousque deveniatur ad ultimum ut ad verum et bonum perfectum habens in se perfectam rationem veri et boni simpliciter et omnem rationem cuiuslibet veri et boni particularis. | Et ideo primum verum in omni alio vero et per omne aliud verum quasi vocat intellectum, ut tendat ad sui notitiam, et primum bonum in omni | alio bono et per ipsum quasi vocat affectum, ut tendat in sui fruitionem et amorem. Et ideo | quousque intellectus perducatur in perfectam notitiam summi veri et affectus in fruitionem summi boni, numquam potest humanus appetitus | quiescere, sed illis duobus adeptis totus perficietur et nihil restabit appetendum, ut dictum est supra. |

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod «ultimum verum non eget alio ut sciatur», dicendum quod verum est quantum est in se, quia est summe scibile, quantum tamen est ex parte nostra, qui non sufficimus | statim illud capere, per gradus aliorum verorum debemus ad ipsum ascendere, et ideo appetere debemus alia scire propter illud. Unde AUGUSTINUS VIII^o *De Trinitate*: «*Consuetudo carnalis vera quae creata sunt sentit ut potest, veritatem autem qua creata sunt non potest intueri. Nam si posset, nullo*

QUAESTIO 9

modo esset lux ista corporea manifestior. Et ideo sicut si exeunti de carcere, qui non posset solem aspicere, primo ostenderetur lumen candela, deinde lumen solis reflexum in medio, deinde radium solis in aere, ut postea fortificatus posset solem in se ipso aspicere, sic nos debemus primo creatas veritates aspicere et per illas ad veritatem summam ascendere, ut docet AUGUSTINUS I^o S O L I L O Q U I O R U M . |

Ad | secundum, quod plurima scita vergunt in damnationem scientis, dicendum quod hoc non est propter scire, quia etiam secundum PHILOSOPHUM scientia malorum bona est, et ideo etiam ad | scientiam primi scibilis ordinatur, sed quod nocet, hoc est per accidens propter scientis abusum vel aliquid huiusmodi. |

Ad tertium, quod «scientiae speculativae sunt propter se», dicendum quod verum est generaliter sumendo eas, scilicet secundum quod includunt speculationem summi scibilis, secundum quod illud dicit PHILOSOPHUS maxime de prima philosophia in quantum est de cognitione Dei, quamvis in illa speculatio omnis quae ex scientia philosophica habetur non sit finis, immo ipsa ordinatur ad istam sicut ad finem, ut infra dicitur. |

Ad quartum, quod non omnis appetens scire cogitat de ultimo fine, dicendum quod immo implicite, in quantum in quolibet appetibili alio est impressa ratio ultimi appetibilis, propter quam appetitur, sed in quantum in ipsa invenit defectum ulterius nititur, quousque perfecte in se ipso ultimum appetibile reperiat. |

ARTICULUS V

DE STUDIO SCIENDI

Quia appetitus sciendi frustra esset, nisi homo, ut scire posset, studium et diligentiam apponeret, ideo postquam visum est de appetitu sciendi hominis, videndum est quale studium adhibere debet homo scientiae. Et circa hoc quaeruntur septem: primum, si studendum est homini ut sciat; secundum, si studendum est homini ut omnia sciat; tertium, si studendum est homini ut sciat scibilia super scientias philosophicas; quartum, si studendum est ei ut sciat omnia contenta in scientiis philosophicis; quintum, si studendum est ei ut sciat singula eodem modo; sextum, si studendum est ei scire propter se; septimum, si homo studio suo terminum debet imponere. |

ARTICULUS V

QUAESTIO 1

UTRUM STUDENDUM SIT HOMINI UT SCIAT

Circa primum arguitur quod non est studendum homini ut sciat.

Primo sic. Ad illud quod est homini inexplicabile non est ei studendum ut sciat, quia frustra studeret. «*Cunctae res sic sunt difficiles, ut homo non possit explicare eas*», sicut dicitur Ecclesiastes I^o. Ergo etc.

Secundo sic. Ad illud non est studendum quo adeptus homo acquirit sibi materiam doloris. Scire est huiusmodi Ecclesiastes I^o: «*Qui addit scientiam addit et dolorem*». Ergo etc.

Tertio sic. Ad illud non est homini studendum | quod non potest invenire. Notitia rerum omnium est huiusmodi | Ecclesiastes | III^o: «*Mundum tradidit Deus disputationi, ut non inveniatur homo opus | quod operatus est Deus ab initio usque ad finem*». Ergo etc.

Quarto sic. Homo non debet studere minori bono et dimittere maius. Scientia minus bonum est quam vita Ecclesiastes III^o: «*Cognovi quod non esset melius nisi laetari et facere bona in vita sua*». Studendo autem scientiae frequenter homo negligit opera vitae. Ergo etc.

Contra est quoniam illi studendum est quod necessarium est saluti. Scire est huiusmodi, Isaias V^o, «*Propterea ductus | est populus meus captivus, | quia non habuit scientiam*», et XXVII^o, «*Non est populus sapiens, propterea non miserebitur eius qui fecit illum*». Ergo etc. |

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc quod omnis qui intendit devenire ad terminum aliquem | ad quem devenire non potest nisi per viam deducentem ad ipsum terminum, necesse habet se ponere in via et ambulare per eam. Nunc autem ita est quod terminus unus est vitae humanae ad quem devenire homo intendit, scilicet notitia perfecta summi veri, ad quam pervenire non potest nisi ambulando in cognoscendo per alia vera quae sunt ad ipsum tamquam per viam, ut dictum est. Ambulare autem per notitiam ab uno in aliud non potest nisi studendo | scientiae, cum homini scientia non contingat nisi per studium et investigationem, ut dictum est supra.

Necessario igitur studendum est homini ut sciat. Et ideo dicitur Ecclesiastes VII^o: «*Hoc habet eruditio et sapientia, quod tribuit vitam possessori suo*», et ibidem VI^o: «*Quid amplius habet sapiens a stulto nisi ut pergat*

QUAESTIO 1

ubi est vita?». Unde AUGUSTINUS XIII^o De Trinitate: «*Sine scientia nec virtutes ipsae quibus recte vivitur possunt haberi, per quas haec vita misera sic gubernatur, ut ad illam quae vere beata est perveniatur aeternam*». Et e contra dicitur studere scientiae negligentibus Osee IV^o: «*Quia tu reppulisti scientiam, et ego repellam te*». Hinc etiam ACADEMICI, qui negabant verum posse inveniri, dicebant tamen | non esse cessandum a studio et veritatis investigatione, et hoc esse opus sapientis. |

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod «*cunctae res sunt homini difficiles et inexplicabiles*», dicendum secundum Glossam ibidem quod verum est, «*ut ad plenum eas homo explicet, et ad summam scientiae earum perveniat in vita ista*», quia quanto homo magis sciendo notitiam rerum ingreditur, tanto amplius invenit eam profundam. Propter quod dixit SALOMON, sapientissimus in rerum naturis, Ecclesiastes VII^o: «*Dixi: 'sapiens efficiar', et ipsa longius recessit a me amplius quam eras*», et ibidem VIII^o: «*Est homo qui diebus ac noctibus somnum non capit oculis, et quanto plus laboraverit, tanto minus inveniens*». Unde Glossa super illud capitulum VII^{um}: «*Quanto ad sapientiam accedis, tanto a te recedit, et altiore se ostendit*», et hoc maxime verum est accedendo ad sapientiam quae de Deo est. Unde dicit CHRYSOSTOMUS Super Matthaeum: «*Sicut quanto acutius viderimus, tanto magis discimus quam longe a caeli regione differimus, sic etiam quanto ad virtutis | ascendamus excelsum, tanto amplius docemur quam sit inter nos et Deum grande discrimen*». | Et ORIGENES Super I^{um} Exodi, loquens de profunditate Sacrae Scripturae, dicit: «*Videtur mihi unusquisque sermo divinae Scripturae similis alicui esse seminum, | quod tanto accumulatius diffunditur, quanto peritus agricola plus semini laboris impendit. Ita et hic sermo, si peritum et diligentem invenerit colonum, cum primo contactus videtur exiguus et brevis, ut coeperit excoli crescit in arborem, ut possint disputatores et rhetores | huius mundi habitare in ramis eius. Temptabimus igitur pro viribus nostris aliqua disserere, etiam si neque universa nobis explicare possibile est, quia et hoc ipsum agnoscere, quod supra vires nostras sit horum scientia, non parvae arbitror esse peritia*». Nec est mirum quod sit inexplicabilis, quia ad infinitum scibile ducit, ut dictum est. Unde competenter potest homo dicere illud Psalmi, «*Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et | non potero ad eam*». Et nota quod talia dicta Sacrae Scripturae et de Sacra Scriptura

ARTICULUS V

non sunt ut studiosos terreant et a studio in desperantiam sciendi ponendo repellant, sed ut tepidos excitent et praesumptuosos confutent, secundum quod dicit Glossa super illud «*Cunctae res sunt difficiles*»: «*Haec sententia est contra eos qui sine labore et discendi studio Sanctas Scripturas se novisse putant*».

Ad secundum, quod «studio homo acquirit sibi materiam doloris», dicendum quod duplex est dolor | sicut et «*tristitia*», secundum | APOSTOLUM II^a <Ad> Corinthios VII^o, «*saeculi et secundum Deum*». Saeculi dolor est qui est pro temporalium amissione et quia non in omnibus homo prosperatur ad nutum; iste nocivus est, et non additur ex scientia, immo repellitur. Dolor secundum Deum est dolere quia homo peccavit et fecit quae odit Deus; iste utilis est et additur ex scientia. Unde dicit Glossa super illud «*Qui addit scientiam, addit dolorem*» quia quanto plus scit, tanto plus divina iudicia timet, quia «*cui plus committitur, ab eo plus exigitur*».

Ad tertium, quod homo non potest opus Dei invenire, dicendum quod verum est ad plenum, non tamen propter hoc retrahendum est studium, | quia studendo ex illis potest scire «*multa sibi utilia*», ut ibi dicit Glossa.

Ad quartum, quod «homo studendo negligit opera vitae», | dicendum quod non est verum, nisi vane studiosus sit; immo studere ordinata intentione, studere ipsum est opus meritorium vitae aeternae, quia nec sine scientia dirigi possunt virtutum opera, ut dictum est, propter quod dixit CHRISTUS APOSTOLIS: «*Estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae*», prudentes studendo scientiae, simplices studendo recta intentione. Et APOSTOLUS I^a Ad Timotheum IV^o: «*Attende tibi et doctrinae. Hoc enim faciens te ipsum salvum facies et eos qui te audierint*».

QUAESTIO 2

UTRUM STUDENDUM SIT HOMINI UT OMNIA SCIAT

Circa secundum arguitur quod studendum est homini ut sciat omnia.

QUAESTIO 2

Primo sic. Studendum est homini ut scientia perficiatur qua est imperfectus. Sed omnium scientia est imperfectus, ut patet ex praehabitis. Ergo etc.

Secundo sic. Scientiae aliorum studendum est propter scientiam Dei adipiscendam, ut dictum est. Sed omnium scientia ad illud valet, secundum HUGONEM in | prologo Caelestis Hierarchiae: «*Sicut omne bonum a summo bono est, ita et in omni bono secundum aemulationem participationis summum bonum contemplari potest*». Ergo etc.

Contra est quod homini | non est studendum illi ad cuius notitiam non potest pervenire. Ad omnium notitiam non potest homo pervenire secundum PHILOSOPHUM II^o Metaphysicae: «*Nullus hominum potest pervenire in veritatis cognitione secundum quod oportet*», ubi dicit COMMENTATOR, «*Quia nullus comprehendit eam secundum totum vel magnam partem eius*». Ergo etc. |

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc quod vanitatis quorundam erat quod oporteret hominem | omnium rerum investigare scientiam, ut ex hoc perfecte ascenderet in cognitionem Dei. Quoniam enim, ut dixerunt, in creaturis cognoscitur Deus ut in effectu, nunc autem ita est quod causa non perfecte relucet in parte sui effectus, sed in toto effectu, si ergo homo, ut dicebant, in cognoscendo aliquem divinum effectum in creatura deficiat, non potest Deum perfecte ex creaturis cognoscere, secundum quod potest cognosci ab homine. Si ergo debeat ab homine cognosci secundum quod est possibile, debet eum cognoscere in omni creatura omnes creaturas cognoscendo, et in hoc ponebant hominem Deo perfecte assimilari, et finem humanae vitae.

Revera deductio eorum vera erat de scientia quam homo potest habere de Deo secundum statum vitae huius ex puris naturalibus. Hinc dicit AUGUSTINUS Super Ioannem Sermonem I^o: «*Attende fabricam mundi, et vide quae sunt facta per verbum, et tunc cognosces quale sit Verbum*», et loquitur de Verbo aeterno, quod est Dei virtus et Dei sapientia. Vana tamen erat illorum deductio, quoniam numquam erat hominem ad tantam creaturarum notitiam possibile devenire, tum propter | vitae brevitatem, tum propter experientiae difficultatem, tum propter scientiae profunditatem, secundum quod dicit YPOCRATES, «*Vita brevis, ars vero longa, experimentum fallax, iudicium | autem | difficile*». Unde super illud, «*Omnia sunt difficilia, et non potest homo ea explicare*

ARTICULUS V

sermone», dicit G l o s s a : «*Non potest homo causas et naturas rerum explicare, nec oculus ad plenum intueri, | nec auris etiam instruente doctore ad summam scientiae pervenire*». Revera non potest homo naturas rerum explicare propter vitae brevitatem, nec oculus intueri propter experimenti fallibilitatem, nec auris ad scientiam pervenire propter artis difficultatem. |

Dicendum ergo quod non est homini studendum ad sciendum omnia in vita ista: primo, quia hoc est ei impossibile, ut dictum est; secundo, quia per hoc negligeret magis utile, Ecclesiastes VII^o: «*Quid necesse est homini maiora quaerere cum ignorat quid conducat?*»; G l o s s a : «*Quid sit utile sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suae, et tempore quod velut umbra praeterit?*»

Sed solum studendum est ei sic, ut studeat ad vitae futurae utilia et inter illa ad magis necessaria, secundum quod dicitur Ecclesiastici XIII^o, «*Altiora te ne quaesieris et fortiora te ne scrutatus fueris. Neque enim est tibi necessarium quae abscondita sunt videre oculis tuis, | sed quae praecepit tibi Deus, cogita illa semper et in pluribus eius operationibus ne sis curiosus. In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter*». Unde | dicit AUGUSTINUS super illud I^{ae} <Ad> Corinthios VIII^o: «*Scientia inflat*»: «*Laudabilior est animus cui nota est infirmitas sua, quam qui ea non respecta siderum vias scrutatur et terrarum fundamenta, et caelorum fastigia*». Et ideo dixit APOSTOLUS: «*Non plus sapere quam oportet sapere*»; et PHILOSOPHUS: «*Arbitramur scire omnia sapientem sicut convenit*». Unde contra illos qui nimium scrutari volunt in supervacuis dicit finis dictae auctoritatis, Ecclesiastici XIIIⁱ, «*Multos enim supplantavit suspicio eorum et in vanitatem detinuit sensus illorum*».

Revera supplantavit suspicio, quia «*dicentes se esse sapientes stulti facti sunt*», ut dicitur <Ad> Romanos I^o, ex hoc in errores incidentes. Secundum enim quod ibi dicit G l o s s a , «*haeretici duobus modis fiunt, vel de creatore, vel de creatura ultra modum disputantes, et in errores incidunt et a veritate recedunt*», et in vanitate | detinuit eos sensus eorum, quia non potuerunt quod intendebant attingere. Hoc tamen permisit | eis Deus, ne otio torpescerent, Ecclesiastes III^o: «*Vidi afflictionem quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea, cuncta fecit in tempore suo, et mundum tradidit disputationi eorum*», | ubi dicit G l o s s a : «*Propterea Deus etiam perversorum dogmatum magistris concessit occupationem, ne mens eorum otiosa torpesceret*». |

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod «homo omnium scientia est

QUAESTIO 2

imperfectus», dicendum quod imperfectum hominis in vita ista nec in creaturarum cognitione impleri potest, ut supra dictum est, sed hoc impletum erit in futuro, quando secundum GREGORIUM in IV^o Dialogorum «nihil erit quod non videbit qui videntem omnia videbit», quod solum continget eis qui hic solum ea quibus opus est scire quaerunt, et cuncta sobrie investigant ad opus doctrinae fidei et ad regulam fidei, cuius | scientia magis est necessaria ut homo pervenire possit ad perfectionem humanae vitae in sciendo, quam omnis disciplina philosophica. |

Ad secundum, quod in omni creatura contingit summum bonum contemplari ad opus doctrinae fidei, dicendum quod verum est. Hoc tamen non est possibile hominem in omnibus perscrutari, nec opus est amplius scrutari quam scientiae fidei et pietatis satis | est, ut infra dicetur. |

QUAESTIO 3

UTRUM STUDENDUM SIT HOMINI UT SCIAT SCIBILIA SUPER SCIENTIAS PHILOSOPHICAS

Circa tertium arguitur quod non est homini studendum ut sciat scibilia super scientias philosophicas.

Primo sic. Ecclesiastici XIII^o sequitur: «*Altiora te ne quaesieris et fortiora te ne scrutatus fueris*». Illa quae sunt super scientias philosophicas | sunt fortiora et altiora homine, quia supra vires naturales rationis, ut dictum est supra. Ergo etc.

Secundo sic. De notitia illorum quae fidei sunt et supra scientias philosophicas dixit CHRISTUS in evangelio: «*Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini*», etc. Sed illud ad quod non est cogitandum ut cognoscatur, sed munus Spiritus Sancti exspectandum, non est studio investigandum. Ergo etc.

Contra est illud I^o Esdrae VII^o: «*Esdras praeparavit cor suum, ut investigaret legem Domini*», quod non erat nisi studio. Lex autem Domini erat de scibilibus supra scientias philosophicas. Ergo etc. Et super illud Sapientiae VI^o «*Cogitare de illa sensus est consummatus*», dicitur in Glossa: «*In praesenti studendum | est sapientiae, et secundum normam disciplinae vivendum*». |

<SOLUTIO>

ARTICULUS V

Dicendum ad hoc secundum AUGUSTINUM in principio De doctrina christiana quod error erat aliquorum quod «*praecepta de modo studendi et investigandi | obscura Sacrae Scripturae non erant necessaria*, sed quod intellectus | eorum *divino munere* esset exspectandus», et ita negabant quod non esset homini studendum ad sciendum scibilia supra scientias philosophicas.

Contra quos dicit AUGUSTINUS loquens suis: «*Fratres*», inquit, «*moneamus omnes ne parvulos suos ita doceant. Immo quod per hominem discendum est, sine | superbia discant, neque temptemus eum cui credimus, ne talibus inimici versutis decepti ad ipsum quoque audiendum evangelium atque discendum nolimus ire in ecclesias aut codicem legere*», scilicet studendo per nos, «*aut doctorem praedicantemque hominem audire; et exspectemus rapi usque ad tertium caelum, et ibi audire ineffabilia verba, aut ibi videre dominum Iesum, et ab illo potius quam ab hominibus audire evangelium*». Dicere ergo absolute quod talibus quae sunt super scientias philosophicas non est studendum, error est et temptare Deum. |

Verumtamen sciendum quod triplex | est | modus cognoscendi res: quidam naturalis et modo naturali, quidam supernaturalis et modo supernaturali, | quidam medius supernaturalis et modo naturali.

Primus est ille quo cognoscuntur scienda in disciplinis philosophicis, quae sunt de rebus naturalibus, quarum notitia est naturalis, quia investigatione naturalis rationis et modo naturali, quia via sensus et experientiae capit ortum.

Secundus est ille quo cognoscuntur clare et aperte quidditates caelestium spirituum Dei et angelorum, quae sunt res supernaturales, quorum notitia non est naturalis, quia non naturalis rationis investigatione, neque modo naturali, quia nec per illa quae accipiuntur a sensu, sed immediate et pure a divino dono speciali. Unde ad notitiam talem et talium scibilium super scientias philosophicas habendum non est studendum rationis naturalis investigatione, ut in vita ista acquiratur, quia studium ad hoc esset frustra et labor perditus, sed sic vivendum est in praesenti vita, ut in futura haberi promereatur vel, si Deo placuerit, ad horam concedatur.

Tertius modus est ille quo supernaturalia et divina hic cognoscuntur per fidem, quorum notitia est supernaturalis, quia per lumen infusum, modo tamen naturali, quia in aenigmate rerum sensibilium. Non enim in istis complexa et articulos fidei credimus per lumen fidei, nisi prius terminos et incompleta lumine naturalis rationis adminiculo sensus intelligamus, | secundum quod dicit AUGUSTINUS VIII^o De Trinitate: «*Credimus dominum Iesum Christum natum de virgine, quae Maria vocabatur; | quid sit virgo, quid sit nasci, et quid sit nomen*

QUAESTIO 3

proprium non credimus, sed prorsus novimus; et super illud «*Da mihi intellectum*», Glossa: «*Nemo potest credere in Deum nisi aliqua intelligat, | tamen fide sanatur, ut ampliora intelligat*».

Circa talia ergo quae fide cognoscuntur de supernaturalibus principaliter quaestio exponenda est. |

De talibus ergo sciendis notandum quod initia fidei accipimus divino lumine, sicut initia primorum principiorum scientialium sumimus lumine naturalis rationis, et quod se habent prima credibilia fidei ad omnia posteriora credibilia, sicut et prima scibilia philosophica ad posteriora scibilia. Sicut ergo homo, antequam noverit prima principia scientiarum philosophicarum, non potest addiscere neque cetera studio aliquo investigare, ut dictum est supra, sic ad cognitionem illorum quae fidei sunt studere non potest antequam lumine fidei prima principia credibilium cognoverit.

Quibus cognitis ad duo investiganda studendum est. | Primo, ut | ex primis credibilibus investigentur posteriora. Sicut enim lumine naturalis rationis homo potest studendo investigare notitiam eorum quae in potentia cognita sunt in principiis scientialibus, sic lumine fidei potest | investigare credibilia quae in potentia cognita sunt in primis principiis credibilium, secundum quod PAULUS futuram nostram resurrectionem probat credendam ex resurrectione Christi quam iam credimus factam. Et ideo dicit ORIGENES super Genesim in Homilia de archa, «*quod de aliquibus Sacra Scriptura nihil retulit, sed solum traditio tenet, quia opportunum videtur super hoc habitum silentium de quo sufficienter conclusionem ratio docet*». |

Secundo autem studendum est eis quae sunt fidei, ut credita fiant intellecta. Secundum enim quod dicit AUGUSTINUS Super Ioannem in principio, «*sacra lectio ad hoc legitur et auditur, ut exponatur et intelligatur*». Hinc dicit in fine De Academicis: «*Ita sum affectus, ut quid sit verum non credendo solum, sed intelligendo apprehendere impatienter exspecto*». Non enim cum auditur et creditur, statim intelligitur, quia, ut dicit CHRYSOSTOMUS super illud Matthaei I^o «*Inventa est in utero habens*»: «*Non aestimes te cum cuncta audieris continuo cuncta didicisse*». | Ut ergo quae fide sola tenemus intelligamus, studere debemus, non viribus solum naturalis rationis. Cum enim, ut de philosophis dicit HUGO super | prologum Caelestis Hierarchiae, «*post scientiam philosophicam novissime theologiam perscrutatione invisibilium quasi consummaturi sapientiam addiderunt, ibi corruiere coeperunt in mendacia figmentorum, et assumpserunt species visibilium simulacra divinorum, ut invisibilia viderent per ea quae videbantur, et evanuerunt cum transire vellent mente ea quae sola mente acceperunt. In hac ergo scientia sapientes mundi*

ARTICULUS V

stulti facti sunt, quia solo naturali documento secundum elementa et speciem mundi incedentes exemplaria gratiae non habebant, in quibus etsi species erat humilis, manifestior praestatur demonstratio veritatis». Non ergo solum viribus naturalis rationis ad sciendum naturalia studendum est, sed viribus naturalis rationis adiutae lumine supernaturali ad intelligendum illa. Unde CHRYSOSTOMUS super illud «Petite et dabitur vobis»: «Deus ita nos disposuit esse, ut nec studentes et laborantes circa scripturas quaeramus salutarem scientiam sine gratia Dei, ne nobis imputemus quod scimus, nec tamen gratiam acquiramus nisi studuerimus et laboraverimus circa scripturas, ne Dei donum negligentibus detur. Gratia enim | adiutoria est infirmitatis humanae. Adiutorium autem non dormientibus datur, sed festinantibus et praevalentibus. Sicut | enim in bello non omnis qui pugnat vincit, nemo tamen vincere poterit nisi pugnaverit, | sic non omnes qui student et legunt acquirunt scientiam spiritualem, nemo tamen eam acquirere potest nisi studiosus fuerit ad legendum, assiduus ad audiendum». Unde idem super illud «Nolite sanctum dare canibus»: «Non omnis potest ascendere in altitudinem sensuum, et illas invenire mysteriorum absconditas margaritas, nisi vir spiritualis qui habet exercitationem spiritualium | narrationum Deo».

Tali ergo gratia Dei adiutus potest homo | studere et proficere in supernaturalibus. Et hoc ideo, quia talium scientia sub sensibilibus occultatur. Intelligere autem et maxime talia quae sunt supernaturalia quandam interiorem considerationem dicit eorum quae non statim intellectu capiuntur cum audiuntur. Dicitur enim intelligere quasi ‘intus legere’, id est enucleare quod latet, ut sub intentione et specie sensibili accepta a sensu latet veritas et quidditas rei, | et sub signis figuralibus ipsa figurata, et sub eis quae tenentur ut credita | veritas nota, et sub effectu causa, et cetera huiusmodi. Unde ista cognitio, quae consistit in intelligendo, solido cibo comparatur; simplex autem notitia per fidem comparatur lacti, secundum quod dicit CHRYSOSTOMUS super illud Matthaei XXI^o «Ex ore infantium»: «Omnis prima instructio fidei, id est simplex doctrina, lac dicitur, quoniam sicut lac sine labore et opere dentium manducatur et manducantem suavitate sua delectat. Panis autem est perfectioris doctrina iustitiae, quam accipere non possunt nisi exercitati sensus circa res spirituales, quoniam qui audit necesse habet intra se tractatibus quibusdam discutere et meditari, quasi quibusdam dentibus spiritualibus molere». Idem super illud Matthaei XXII^o «Misit servos vocare invitatos»: «Sicut enim qui mittit in os fragmentum panis, primum molit cum dentibus et ita mittit in stomachum, sic et cum audimus omne | verbum, necesse est illud meditari in ore sensus, et quasi quibusdam dentibus id tractantibus molere et videre quid est quod dicit, aut unde dicit, aut propter quam rem dicit. Nam quemadmodum qualemcumque cibum, nisi masticaverimus dentibus, non sentimus saporem eius, ita et verbum quod custodimus, nisi masticaverimus tractantes in nobis, non possumus intelligere

QUAESTIO 3

veritatem verbi illius. Nam et manna in eremo figuram habens verbi ideo dicitur manna, quod interpretatur 'quid est hoc?', ut quotienscumque audiamus verbum, admoneat nos ipsum nomen requirere: 'quid est hoc quod audimus?'. Nam quemadmodum non prodest cibus, nisi cum fuerit masticatus et in stomachum descenderit, sic non proficit ad salutem verbum, nisi cum fuerit intellectui et memoriae traditum. Qui autem sic manducat de spirituali convivio impletur spiritu, dilatatur sensibus, nutritur in veritate, pinguescit in fide, et sic ingrediens ad interiora voluntatis Dei et manens in eis acquirit sibi vitam aeternam. Qui autem ab hoc convivio verbi Dei longe factus fuerit evacuat spiritum, angustatur sensibus, deficit a veritate, distillat a fide, et sic egrediens ab omnibus | voluntatibus Dei novissime cadit in mortem. | Sicut ergo ratio naturalis adiutorio | luminis naturalis, quasi fodiendo sub signis et intentionibus sensibilibus quae | patent, potest [homo] in cognitionem venire eorum quae sub ipsis latent | propter naturalem colligantiam eorum ad signa quae patent, sic ratio naturalis adiutorio luminis fidei, quasi fodiendo sub credibilibus, potest venire in cognitionem veritatis | eorum. | Licet enim per se ad hoc non potest devenire ratio solo lumine naturali, quia non habet veritas latens naturalem ordinem ad illa signa quae patent, sub quibus credenda proponuntur, adiutorio tamen luminis superioris hoc bene potest. Unde ad intellectum veritatis huius «corruptam posse parere» potest pervenire intellectus lumine rationis naturalis, sed ad intellectum illius «virginem posse parere» non nisi lumine superiori. Et ideo sicut philosophi studuerunt ad cognoscendum posteriora ex prioribus et ad intelligendum veritatem rerum naturalium solo lumine naturalis rationis adiuti, sic fideles debent studere ad cognoscendum posteriora credibilia ex prioribus et ad haec et illa intelligenda adiuti illustratione Spiritus Sancti. Unde super illud Sapientiae IX^o «Difficile aestimamus quae in terra sunt et invenimus cum labore. Quae in caelis autem sunt quis investigabit?» dicit Glossa: «Ne desperemus, praemissis subiungit consolationem Sancti Spiritus». Unde sequitur: «Spiritum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam et miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis?»

Et debet esse primum studium fidelis, ut cognoscat quid credendum, deinde quomodo intelligat credita, quoniam, | ut dicitur Isaiae VII^o: «nisi credideritis, non intelligetis». Unde de sapientia legis divinae dicitur Ecclesiastici VII^o: «In omni animo tuo accede ad illam, et in omni virtute tua conserva vias eius. Investiga illam, et manifestabitur tibi». Et debet esse ista investigatio non solum studio exercendo intellectum, sed etiam bonis operibus mundando affectum. Unde super verbum illud praecedens «Quibus autem cognita est», dicit Glossa: «Qui eam recta fide et opere servant». |

ARTICULUS V

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod «illa sunt homini altiora», dicendum quod illa quae excedunt lumen naturalis rationis altiora sunt homini simpliciter, | ut homo est, et quae excedunt lumen fidei, illa sunt altiora fideli, ut fidelis est. Unde qui metas nitebantur excedere, sive philosophiae sive doctrinae catholicae, illico in errores ceciderunt et haeretici facti sunt, vel de creatore vel de creatura ultra modum | disputantes, ut dictum est in praecedenti quaestione. Quod non oportet fieri circa eos qui pia fide quaerunt notitiam divinorum supernaturalium, et non praesumunt ad illa per propria naturalia pervenire, secundum quod dicit AUGUSTINUS V^o De Trinitate cap.^o 1^o: «*Non impudenter in illa quae supra sunt divina et ineffabilia pietas fidelis ardescit, non quam suarum virium inflat arrogantia, sed quam gratia creatoris inflammat*». |

Ad secundum, «*Nolite cogitare*», etc., dicendum, secundum AUGUSTINUM IV^o De doctrina christiana, distinguendo quod est hora deliberationis ad loquendum et est hora opportunitatis, et pro hora opportunitatis, in qua non conceditur deliberatio, | intelligitur illud dictum evangelii. In hora autem deliberationis fortiter studendum est, ut homo faciat quod in se est, ut hora opportuna quantum poterit paratum se inveniatur, secundum quod dicit AUGUSTINUS IV^o De doctrina christiana: «*Discat omnia quae docenda sunt, qui et nosse vult et docere. Facultatem dicendi, ut decet virum ecclesiasticum, comparet. Ad horam vero | ipsius dictionis illud cogitet bonae menti convenire quod DOMINUS ait, 'Nolite | cogitare'*, etc. *Quisquis | autem dicit non esse hominibus praecipendum quemadmodum doceant, si Spiritus Sanctus docet, potest dicere non orandum nobis esse, quia dominus ait, 'Scit pater vester quid vobis sit necessarium priusquam petatis'*». |

QUAESTIO 4

UTRUM STUDENDUM SIT EI UT SCIAT OMNIA CONTENTA IN SCIENTIIS PHILOSOPHICIS

Circa quartum arguitur quod non est homini studendum scientiis philosophicis.

Primo sic. Qui scientiis philosophicis studet in vanitate ambulat, secundum quod dicit HIERONYMUS ad DAMASUM papam: «*Videtur in vanitate sensus et obscuritate mentis ingredi qui diebus ac noctibus in dialectica arte torquetur, qui physicus perscrutator oculos trans caelum levat, et ultra profundum*

terrarum et abyssum in quoddam inane demergitur. Sed in vanitate | non est ambulandum. Ergo etc.

Secundo sic. Studens in scientiis philosophicis corripendus est, secundum quod dicit RABANUS De pressuris ecclesiasticis: *«Legimus de | beato Hieronymo, quod cum libros legeret Ciceronis, ab angelo correptus est, eo quod vir Christianus paganorum figmentis intenderet»*. Sed non est studendum ei pro quo quis corripendus est. Ergo etc.

Tertio sic. In eo quod non valet ad salutem, sed mittit in errorem, non est studendum, quia omne studium Christiani ad rectam doctrinam ducentem | ad beatitudinem debet ordinari. Scientiae philosophicae sunt huiusmodi, ut dicit AMBROSIVS super epistolam Ad Colossenses. Ergo etc.

Contra est illud quod dicit BEDA super Regum, *«Turbat acumen legentium et deficere cogit qui eos a legendis saecularibus litteris omnino aestimat prohibendos; alioquin Moyses et Daniel sapientia et litteris Aegyptiorum et Chaldaeorum non paterentur erudiri»*. |

<SOLUTIO>

Ad hoc sciendum quod scientiarum quaedam est necessaria, quaedam utilis sive | fructuosa, quaedam vana et superstitiosa.

Superstitiosa est omnis ars per pactiones daemonum et hominum instituta, quae, ut dicit AUGUSTINUS II^o De doctrina christiana, *«est ad facienda vel colenda idola, vel creaturam sicut Deum, vel consultationes a daemonibus faciendas vel accipiendas, vel ad quorundam eventuum significationes denotandas, qualia sunt molimina artium magicarum, haruspicum, et augurum libri, ad quod genus pertinent omnes ligaturae atque remedia»* morborum superstitiosa, motus et gestus, et incessus superstitiosi, vel in se ipsis vel in volatibus avium et motibus animalium, | similiter annotatio constellationum geniturae, necnon et ea quae fiunt per pythones responsa. Haec et his similia milia inanissimarum observationum genera, quibus, ut dicit AUGUSTINUS, *«occulto Dei iudicio pro meritis | voluntatum suarum traduntur homines illudendi, atque ab angelis praevaricatoribus decipiendi, penitus sunt repudianda et fugienda Christiano, quia in eis omnino societas daemonum est formidanda, qui nihil nisi nos illaqueare conantur»*. | Idcirco enim ministerio daemonum huiusmodi *«superstitionibus et divinationum generibus multa futura dicuntur, nec aliter quam accidunt dicuntur, ut curiosiores homines fiant, et magis illaqueentur daemonum operatione»*. Qui, ut dicit CHRYSOSTOMUS super illud | Matthaei IV^o *«Non in solo panis: «si utile aliquid inbeant, nec sic quidem eos*

debemus audire, nec diabolo credamus umquam, etiamsi magna quaedam necessitas urgeat. Tali ergo scientiae, ut ait AUGUSTINUS, nullo modo est studendum. Per quam tamen studiosus transiens, *«quisquis bonus et verus Christianus domini sui esse intelligat, ubicumque invenerit veritatem»*, nec debet | philosophica, nec daemonica reputari.

Utilis autem scientia est scientia | vere philosophica, quia ad perfectionem humanae naturae inventa est. Et isti, ut dicit AUGUSTINUS, studere non | licet ad delectationem, aut ut in eis spes adipiscendi bonam vitam ponatur, aut deceptionem, aut rixandi libidinem. *«Omnino enim cavenda est libido rixandi et puerilis ostentatio decipiendi»*. Ob hoc enim sermonem sophisticum et captiosarum argumentationum genera detestatur Sacra Scriptura, cum dicit: *«Qui sophisticè loquitur odibilis est»*. Studere tamen ei licet in quantum utilis est et proficua est, secundum quod de omni tali scientia alia a Sacra Scriptura dat AUGUSTINUS regulam generalem versus finem II^o De doctrina christiana, dicens: *«Videtur mihi studiosis et ingeniosis adolescentibus et timentibus Deum, beatam vitam quaerentibus salubriter praecipere, ut nullas doctrinas quae praeter ecclesiam Christi exercentur, tamquam ad beatam vitam capessendam sequi audeat, sed eas sobrie diligenterque diiudicent; si quas vero invenerit vanas et ignotas, maxime si habent cum daemonibus societatem, repudient | penitus et studium detestentur. Illa vero instituta quae ad societatem conviventium valent, non negligat, sed nec liberales scientias visui veritatis aptiores et praecepta moralia utilissima de ipso uno Deo colendo, quae inveniuntur apud ipsos»*; et De civitate Dei VIII^o: *«Quamvis homo Christianus ecclesiasticis litteris eruditus cavet eos qui secundum elementa huius mundi philosophantur, non secundum Deum, a quo factus est mundus. Admonetur enim praecepto apostolico, quod audit: | 'Cavete ne quis vos seducat secundum philosophiam et inanem seductionem, secundum elementa huius mundi'. Deinde ne omnes tales esse arbitrentur, audit ab eodem apostolo dici de quibusdam. Quia quod notum est Dei, manifestum est illis. Deus enim illis revelavit»*; et De moribus ecclesiae: *«Nomen ipsum philosophiae, si consideretur, rem magnam totamque animo appetendam significat, siquidem philosophia est amor studiumque sapientiae. Cautissime APOSTOLUS, ne ab amore sapientiae deterrere videretur, subiecit secundum elementa huius mundi. Sunt enim qui desertis virtutibus et nescientes quid sit Deus, et quanta maiestas naturae semper eodem modo manentis, magnum se aliquid agere putant, si universam istam corporis molem, quam mundum | nuncupamus curiosissime intentissimeque perquirant. | Unde tanta superbia etiam gignitur, ut in ipso caelo, de quo saepe disputant, sibimet habitare videantur»*. Idem De ordine libro I^o in fine: *«Divinae scripturae non omnino philosophias, sed philosophos huius mundi evitandos, atque irridendos esse praecipit. Nam quisquis omnem philosophiam fugiendam putat, nihil nos vult | aliud quam non amare sapientiam»*; item, in eodem libro II^o: *«Ego si quid*

meos monere possum, quantum mihi apparet, quantumque sentio, censeo illos disciplinis omnibus erudiendos». Hinc dicit HIERONYMUS de tribus pueris in Daniele: «*Qui de mensa et vino regis noluerunt comedere ne polluantur, utique si sapientiam atque doctrinam Babyloniorum scirent esse peccatum, non acquiescerent discere quod non licebat*». Unde super illud EXODI III^o «*Postulet mulier a vicina sua et | hospita*», GLOSSA: «*Poetae et philosophi quodammodo sunt nobis vicini*», quia in multis conveniunt. «*Vasa argentea et aurea*», GLOSSA: «*Argentum et aurum ab Aegyptiis petimus, unde tabernaculum Deo fabricemus, cum poetas et philosophos legimus, ut divinam scripturam sapientius et facundius legamus*». | «*Ac veste*», GLOSSA: «*Morum atque bonorum operum*». «*Ponetis quoque*», | GLOSSA: «*Erudiendo*». «*Super filios vestros*», GLOSSA: «*Maiores*»; «*et filias*», GLOSSA: «*minores*». «*Et spoliabitis Aegyptum*», GLOSSA: «*Auferendo quae tabernaculo domini sunt utilia*».

Scientia autem necessaria est Sacra Scriptura, cui principaliter studendum est, et omni alteri propter ipsam, ut infra dicitur. |

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod «*scientiis philosophicis studere est in vanitate | ambulare*», dicendum quod verum est | studentibus in illis | propter se et ad immorandum et delectandum aut ad libidinem aliquam. Retorquendo tamen illas ad meliorem usum, Sacrae scilicet Scripturae, ut infra dicitur, non est ita. Unde HIERONYMUS super epistolam Ad Titum: «*Geometria, arithmetica, et musica habent in sua scientia veritatem, sed illa non est scientia pietatis*». Potest tamen proficere ad vitam, dum fuerit in meliores usus assumpta. |

Ad secundum, quod propter studium aliarum scientiarum est homo corripiendus, dicendum quod | verum est, dum homo nimis eis vult immorari et delectari propter quod erat correptus Hieronymus. Non autem est corripiendus qui studet in illis, ut vera inventa in illis ad meliorem usum convertat et propter alias causas, quae infra dicentur. Et ideo dicit AUGUSTINUS II^o De doctrina christiana: «*In omnibus tenendum est ne quid nimis attemptetur*». |

Ad tertium, quod «*scientiae philosophicae ducunt in errorem, et non valent ad salutem*», dicendum quod scientiae aut scripta quae non valent ad salutem, sed ducunt in errorem, quia haeresim contra sacram doctrinam continent, sicut continent plurima scripta philosophorum, aut auctor eorum per ecclesiam reprobatus est et damnatus, aut non. Si sic, «*non debent admitti*», | neque studendum est in illis, *quamvis* aliqua utilia contineant, ut 16^a «*Canones*», <Glossa>, Extravaganti, de

hereticis, «Fraternitatis», et maxime cum damnatus est auctor ante mortem. Si enim *damnatus fuerit post | mortem, scripta* observantur *ratione bonae* scientiae quam continent, licet aliqua habent erronea, *ut scripta ORIGENIS*, ut *XVI^a quaestione 7^a*, et maxime cum postmodum fuerint *approbata in bene* dictis, sicut erant scripta ORIGENIS, secundum quod haec notantur a Glossa, Extravaganti, de hereticis, «Fraternitatis». Si ergo error nec ante mortem auctoris nec post mortem fuit damnatus, sicut errores philosophiae plurimi per sententiam Ecclesiae numquam erant damnati, sententiae bonae | talium tenendae sunt, et in scriptis eorum studere licet, nec vitandae | sunt propter vitium personarum, etiamsi aliqua falsa contineant, sed propter illa falsa sunt cavendae, secundum quod dicit AUGUSTINUS cap.ⁱ IIIⁱ quaestione 2^a, «Dominus determinavit», APOSTOLUS dixit, «*Cretenses malae bestiae, pigri corde*»: «*Si ergo Apostolus nescio cuius alienigenae testimonium, quia verum comperit, etiam si ipse attestatus est, cur nos apud quemcumque invenerimus quod Christi est, et verum est, etiamsi ille apud quem invenitur perversus et fallax est, non discernimus propter vitium quod habet homo, veritatem, quam non suam, sed Christi, habet?*» |

QUAESTIO 5

UTRUM STUDENDUM SIT HOMINI UT SCIAT SINGULA EODEM MODO

Circa quintum arguitur quod eodem modo studendum est homini ad investigandum scientiam de unoquoque.

Primo sic. Illo modo studendum est homini investigare scientiam de unoquoque | quo nata est sciri, quoniam, ut dicit AUGUSTINUS II^o De doctrina christiana, «*scientiae verae non sunt ab hominibus institutae, sed animadversae, et in rerum ratione et natura compertae*». Sed unus est modus et idem quo unumquodque natum est sciri, scilicet ex suis causis, secundum quod dicitur | II^o Metaphysicae: «*Nos non scimus veritatem | absque eo quod scimus | causam eius*». Ergo etc.

Secundo sic. Quod inest homini a natura idem est et eodem modo se habet respectu cuiuslibet obiecti, ut patet in visu respectu colorum. Sed modus sciendi ad investigandum scientiam nobis est innatus secundum PHILOSOPHUM I^o Physicorum: «*Innata est nobis via a certioribus nobis et notioribus*». Ergo etc.

Contra est quoniam, si eodem modo studendum est ad investigandum scientiam in unoquoque, ergo aequali perscrutatione.

QUAESTIO 5

Hoc autem reprehendit PHILOSOPHUS, cum dicit II^o *Metaphysicae*: «*Non oportet quaerere in qualibet scientia perscrutationem sicut in mathematicis*». Ergo etc. |

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc quod ponere quod eodem modo studendum est ad investigandum scientiam de unoquoque est summum impedimentum investigandi | scientiam in pluribus scibilibus, ad quod habent reduci omnia impedimenta sciendi quae determinat PHILOSOPHUS II^o *Metaphysicae*. Si enim idem esset modus investigandi omnem scientiam, cum modus investigandi idem est cum modo sciendi, quia ex eisdem habet res sciri et scientia eius investigari, idem esset modus sciendi omnia quae sciuntur, et ulterius, cum ex modo sciendi habetur scientiae certitudo, eadem et aequalis esset scientiae certitudo in omnibus quae sciuntur. Unde cum impossibile sit quod sit eadem et aequalis certitudo sciendi omnia, ut dictum est supra, impossibile est omnino quod sit idem modus sciendi, sive idem modus scientiam investigandi in omnibus sive idem modus | studendi, ut scientia investigetur in omnibus, et hoc neque in notitia principiorum quando eam opus est declarare, neque in notitia conclusionum. Ignorantia igitur modi sciendi summum est impedimentum investigandae veritatis circa unumquodque scibile, et e converso cognitio modi sciendi summum est promotivum. Propter quod dicit AUGUSTINUS *De utilitate credendi*: «*Non putabam latere veritatem, nisi quod in ea quaerendi modus lateret*». |

Ad cognoscendum igitur modos sciendi in scientiis, advertendum est quod habet diversificari modus sciendi, sicut studendi ad investigandum scientiam, ex tribus: ex materia, ex proprietate scientiae, et ex dispositione scientis. De primo dicit BOETHIUS I^o *De Trinitate*: «*Unumquodque ut intelligi atque capi potest | inspiciamus. Nam optime videtur illud dictum: 'eruditi est hominis unumquodque ut ipsum est, ita de eo fidem capere temptare'. Nam cum tres sint speculativae scientiae partes, | naturalis est in motu et inabstracta, mathematica vero sine motu inabstracta, | theologia vero sine motu et abstracta — et loquitur BOETHIUS de abstractione reali —, in naturalibus ergo rationabiliter, in mathematicis disciplinabiliter, | in divinis vero intellectualiter versari oportet*». De duobus etiam primis dicit PHILOSOPHUS simul in principio *Ethicorum*: «*Non oportet certitudinem in omnibus similiter exquirere, sed in singulis secundum subiectam naturam*», et in tantum in quantum proprium est

ARTICULUS V

doctrinae. De tertio dicitur in principio *Physicorum*: «*Innata est nobis via ex prioribus et notioribus nobis*».

Primo igitur studendum ad investigandum scientiam circa unamquamque rem secundum naturam subiecti et materiae, secundum quod dicitur in I^o *Ethicorum*: «*In unoquoque dicitur sufficienter, si secundum subiectam materiam manifestetur. Disciplinati enim est in tantum certitudinem inquirere secundum unumquodque genus in quantum rei natura recipit. Proximum enim et simile inconueniens videtur mathematicum persuadendo scientiam suam investigare et rhetorem demonstrando*».| Et hoc intelligendum quando est possibile investiganti secundum materiae exigentiam procedere, sicut contingit in moralibus et mathematicis.

In moralibus enim, ut dicitur I^o *Ethicorum*, «*oportet grosse et figuratiter veritatem manifestare*», et hoc propter incertitudinem materiae et variationem particularium, circa quae sunt moralia. In talibus enim, ut dicitur in principio *Topicorum*, «*habemus sufficienter methodum, quoniam similiter habemus ut in rhetorica et medicina, et in huiusmodi scientiis coniecturalibus, hoc est ex contingentibus facere quae appetimus*», et de nullo subtilem rationem assignare, sed aliquantulum figuratiter pertransire. In mathematicis autem est e contrario. In illis enim propter materiae abstractionem a materia et transmutatione secundum intellectum oportet investigare veritatem secundum perscrutationem maximam, et «*demonstrationibus in primo genere certitudinis*», ut dicitur II^o *Metaphysicae*, et cum hoc etiam «*quia in illis ea quae sunt priora et notiora simpliciter sunt priora et notiora nobis*», ut dicit *COMMENTATOR* super principium *Physicorum*.|

Secundo autem est studendum ad investigandum scientiam propter proprietatem doctrinae, secundum quod de angulo gnomonis rector aedificiorum inquit an sit | rectus, in quantum valet ad opus suum regulandum, et hoc per experimentum et signa apparentia. Geometra vero inquit idem ut cognoscat ipsum quale quid sit in se, non in ordinatione ad aliquod opus, et per rationem et causam demonstrativam, sicut dicitur I^o *Ethicorum*.|

Tertio studendum est ad investigandum scientiam in unoquoque secundum dispositionem investigantis, inchoando | scilicet a prioribus et notioribus sibi, et proseguendo ad investigandum minus nota sibi, etsi aliquando illa sunt magis nota in natura sua, ut contingit in scientia naturali et divina. Naturalia enim nobis sunt occulta et incerta propter se et propter | materiam magis quam propter nos; divina e converso magis propter nos, quia sumus indispositi ad ipsa capienda, quam propter se, ut dicit *COMMENTATOR* super II^{um} *Metaphysicae* et dictum est supra.

QUAESTIO 5

Unde errant qui in talibus, maxime in divinis, exquisitam quaerunt perscrutationem, sed sufficere debet in eis manuductio nobis proportionalis, quia in divinis secundum exigentiam materiae in perscrutando «*procedere non possumus propter illorum excellentiam et animarum nostrarum infirmitatem*»,| ut dicit AVICENNA in I^o Metaphysicae suae, secundum quod etiam dicit PLATO in Timaeo tractaturus de caelestibus et divinis: «*Praedico*», inquit, «*nunc iam, Socrates: si dum de natura universae rei disputatur, minime inconcussas inexpugnabilesque rationes afferre valuerimus, ne miremini, quin potius illud intueri, si consentaneas affectiones afferam. Memento enim tam me qui loquor quam vos qui indicatis homines fore, atque in rebus ita sublimibus mediocrem explanationem magni cuiusdam onus esse laboris*».

Et contingit iste modus investigandi | veritatem iuxta nostram possibilitatem, non solum circa totas scientias, sed circa principia | scientiarum, quarum cognitio, cum non fuerit manifesta nobis, investiganda est diversimode, secundum quod nobis poterit manifestari. Licet enim manifestissima sunt in sua natura, nobis tamen aliquando possunt esse occulta, secundum quod dicit PHILOSOPHUS VI^o Metaphysicae: «*Omnis scientia habet principia, aut secundum finem certitudinis, aut secundum perscrutationem simplicem*»; et secundum quod ibi dicit alia translatio, «*quaedam | habent principia certiora, quaedam simpliciora*». «*Et intendis*», ut dicit COMMENTATOR, «*simpliciora illa quae non sunt valde certa*».

Et ideo oportet ea quandoque notificare, non tamen uno et eodem modo, sed secundum quod facilius nobis possunt innotescere, quia, ut dicitur I^o Ethicorum, «*quaedam contemplantur inductione*», ut illa «*si ab aequalibus aequalia demas quae remanent sunt aequalia*» et «*si aequalibus aequalia addas, | tota sunt aequalia*»; «*quaedam vero contemplantur sensu*», ut elementorum qualitates: calidum, frigidum, humidum, siccum; «*quaedam vero consuetudine | quadam*», ut quae sunt virtutum moralium; «*alia vero experientia*», ut vires medicinarum; «*alia vero aliter*», ut potentiae rerum naturales per suos effectus. Secundum igitur hunc modum diversimode temptandum est nobis studendo singulorum notitiam investigare, secundum quod innata sunt cognosci, vel in se vel secundum proprietatem scientiae, maxime autem secundum possibilitatis nostrae dispositionem, et hoc «*ut non extra | opera plurima fiant*», et multiplicetur super nos inquisitio eius quod excedit opus negotii, ut dicitur I^o Ethicorum. |

<AD ARGUMENTA>

ARTICULUS V

Ad primum in oppositum, quod «unumquodque natum est sciri ex suis causis», dicendum quod verum est in rebus habentibus causas. Hoc dico propter scientias quae sunt de primis principiis cuiuslibet entis, quae carent causis. Quia tamen in rebus habentibus causas, illae nobis frequenter sunt incognitae, oportet praestituere nobis ordinem e contrario his quae sunt a principio, et sic melius proficere, sicut in his quae addiscimus, ut dicitur I^o *Metaphysicae*. Et quia | nobis in diversis diversimode via est ad principia et causas, ideo diversus studendi modus est in diversis scientiis, sicut et investigandi et addiscendi eas, nec solum propter nos, sed etiam propter proprietatem materiae et condicionem scientiae quandoque, ut dictum est. |

Ad secundum, quod «inest nobis a natura procedere a notioribus nobis», dicendum quod iste modus semper debet esse principalis, sed tamen in diversis diversimode ex nobis notioribus minus nota investigantur, | ut in moralibus ab his quae frequenter homines agunt, in naturalibus ab effectibus qui apparent, et sic diversimode in diversis, ut dictum est circa declarationem principiorum. Et illa diversitas frequenter accidit propter materiae proprietatem et propter scientiae condicionem, ut dictum est. |

QUAESTIO 6

UTRUM STUDENDUM SIT HOMINI SCIRE PROPTER SE

Circa sextum arguitur quod studendum est homini scire propter se.

Primo sic. Studendum est homini per se propter intellectus perfectionem et ignorantiae amotionem. Sed ipso scire intellectus perficitur et ignorantia amovetur. Ergo etc.

Secundo sic. Omnis actio ordinata ad aliquid ut ad finem ultimum, est ad illud propter ipsum. Finis ultimus studii humani, cum studere sit actus proprius rationis, est ipsum scire, quia est ultimum in quod potest ratio ut ratio est. Ergo etc.

Tertio sic. Ad illud studendum est propter se quod studens propter se desiderat et propter quod acquirendum studere intendit. | Scire est huiusmodi, secundum quod dicit PHILOSOPHUS I^o *Metaphysicae*: «*Scire*», inquit, «*desiderans propter se maxime scientiam desiderabit. Hoc autem maxime scientis est*». Unde et consequenter addit dicens quod «philosophi propter id quod est scire et intelligere,

philosophati sunt, et non commodi | alicuius causa. Et quod ideo sapientia philosophica libera est, quia est sui ipsius gratia.

Contrarium est illud APOSTOLI I^a < Ad > Corinthios XIII^o «*Si habuero prophetiam*», GLOSSA: «*futurorum notitiam*»; | «*et noverim mysteria omnia*», GLOSSA: «*occulta novi et veteris testamenti*»; «*et noverim omnem scientiam*», GLOSSA: «*divinam et humanam*»; «*caritatem | autem non habuero, nihil sum*», GLOSSA: «*nihil mihi prodest*» ad vitam. Sed ad tale non est studendum propter se. Ergo etc. |

<SOLUTIO>

Ad intellectum quaestionis in principio est hic advertendum quod, cum quaeritur an studendum est homini ut sciat propter se, id est, propter ipsum scire, interrogatio potest intelligi dupliciter: uno modo, ut li 'propter' dicat circumstantiam causae formalis, alio modo ut dicat circumstantiam causae finalis. Si causae formalis, cum scientia de se formaliter bona et delectabilis sit et desiderabilis, ut merito propter eam studeat homo, secundum quod dicit TULLIUS De Academicis: «*Nihil est humanae menti veritate dulcius*», hoc modo bene concedi potest quod studendum est homini scire propter se, scilicet formaliter, sed hoc non excludit quin studendum est propter aliud finaliter, secundum quod virtutes et propter se sunt expetendae, tamquam in se bonae et delectabiles | formaliter, et propter aliud, quia | propter felicitatem finaliter, secundum etiam quod amicos dicimur diligere propter se, etsi nobis nihil boni inde contingeret, etsi in India essent, ut PHILOSOPHUS vult.

Si vero interrogatio intelligatur ut li 'propter' notat circumstantiam causae finalis, ut scilicet scire ponatur finis ultimus studentis, non ad aliquid aliud ulterius ordinandus, dicunt aliqui quod quantum est ex parte ipsius scire, ipsi non est studendum propter se in statu vitae praesentis. Cuius rationem assignant | quoniam status vitae praesentis est status meriti, et meritum non procedit ex intellectu, sed ex affectu, nec ex scire, sed | ex agere, nec ex lectione, sed ex devotione. «*Servus enim sciens voluntatem domini sui et non faciens vapulabit multis*», et ut dicit IACOB, «*melius | est viam domini non agnoscere quam post agnitam retroire*». In statu ergo huius vitae dicunt quia non est omnino homini studendum ut sciat propter se, statum scilicet faciendo in scire, sed ut sciendo cognoscat quid agere, et ad quid tendere debeat. Dicunt igitur quod qualitercumque erit in patria caelesti, sive visio futura perfectior sit quam amor, sive fruitio, an e converso, in via tamen merendi hic

proculdubio actio praeferenda est cognitioni. Melius est enim, ut dicunt, facere et non scire quam scire et non facere. | Quare cum actus studii non respicit nisi modum acquirendi scientiam | via rationalis deductionis procedendo a noto ad ignotum, ut per notum cognoscatur ignotum — qui locum non habebit in patria, ubi cognitiones nostrae discursivae a noto ad ignotum non erunt, sed solum locum habet hic in via —, dicunt absolute dicendum quod non est studendum homini finaliter ut sciat propter se, id est propter ipsum scire, ibi stando. Hoc enim est *vanitas vanitatum* et fuit vanitas philosophorum, quoniam «*cum cognovissent Deum*», secundum quod dicit APOSTOLUS <Ad> Romanos I^o, «*quod notum est Dei manifestum est illis*», Glossa: «*quod de Deo est cognoscibile ductu rationis, notum est illis*». Et tamen «*non sicut Deum eum glorificaverunt*», Glossa: «*bene vivendo et colendo*». «*Evanuerunt in cogitationibus suis*», putantes se esse aliquid cum | nihil essent, quod revera vanitas erat summa. Et ideo «*dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt*», revera stulti, ponendo beatitudinem in cognitione quam habere poterant per creaturas, quae solum ponenda est in cognitione creatoris. Et ideo dicit AUGUSTINUS II^o De doctrina christiana, loquens de notitia | creaturarum quam habebant philosophi: «*Illa*», inquit, «*plurimum intellectum adjuvat; | tantum absit error quo videntur sibi homines ipsam verae vitae veritatem didicisse cum ista didicerint*».

Istorum positio non potest | stare. | Cum enim omnis actio virtutum moralium ad serenandum oculum mentis ordinetur, ut mundatus possit Deum videre, et hic quantum possibile est per intellectum et fidem, in futuro vero per speciem, superior profecto et perfectior est notitia sciendi Deum et divina quam omnis virtutis moralis actio; non est ergo scire simpliciter propter agere, sed e converso. Et quod scire dirigit agere, hoc est propter se, ut clarius contingat scire oculo mentis serenato per agere. Nec est agere per virtutes morales omnino maioris meriti quam secundum intellectuales; immo e converso quantum est de genere operis maioris meriti est opus contemplative quam active, et magis debet esse in electione, in quantum tamen contemplari ex voluntate imperatur et caritatis amore. Sed hoc declarari habet in quaestione de comparatione vitae activae et contemplativae. Dico autem ex caritatis amore, quia sine caritate nulla valet praesentis vitae actio, ut dictum est secundum APOSTOLUM I^a <Ad> Corinthios XIII^o, nec cognitio, quia scientia huius vitae, si sola sit, inflat, et non nisi per caritatem aedificat, ut dicitur I^a <Ad> Corinthios VIII^o, ubi dicit Glossa: scientia, si sola est, «*in superbiam*» extollit. Ergo si | vis non habere | infantem scientiam, «*adde caritatem, et utilis erit scientia*». Per se enim inutilis est, ut patet in rationibus

supra inductis ad hoc | et etiam dictum est supra, secundum APOSTOLUM I^o <Ad> Corinthios XIII^o.

Qualitercumque ergo se habebit res in statu gloriae, in statu praesentis vitae non est studendum ad scire propter se, sed ut per habitam scientiam sciens ex cognito dirigatur in actionem, et hoc quantum ad scientias practicas, quantum vero ad scientias speculativas, ut amplius inflammetur ad amorem. |

Unde videtur esse distinguendum de scire et agere. Est enim quaedam scientia agibilium, quaedam vero speculabilium, similiter est quaedam actio executionis agibilium, quaedam vero dilectionis speculabilium. Loquendo de scientia et actione in agilibus, scientia est propter actionem et actio est finis scientiae, ut in scientiis practicis, | in quibus studendum non est scire propter se, sed propter opus, secundum quod dicit PHILOSOPHUS de scientia ethicorum: «*Praesens negotium non est ut sciamus, sed ut boni fiamus*». Loquendo vero de scientia et actione in speculabilibus, sic similiter scientia est propter actionem. Nec enim est studendum scire speculanda nisi dirigendo ad illa quae ex caritate sunt diligenda, ut cognita diligantur. | Propter autem operanda primo modo non est studendum scientiae secundo modo dictae, sed propter | ipsam magis est operandum illa operatione.

Absolute ergo dicendum quod nulli scientiae studendum est scire propter se, sed semper propter aliud, aut propter actionem agendorum, ut in scientiis operativis, aut propter amorem diligendorum, ut in scientiis pure speculativis. Unde super illud I^{ae} <Ad> Corinthios VIII^o: «*Scientia inflat, caritas autem aedificat*», dicit Glossa: «*Addite scientiae caritatem, et utilis erit, scientia per se inutilis est*». Quare nec praecipuae isti scientiae Sacrae Scripturae, cuius proprius «*finis est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta*», et hoc tam quoad praeccepta credendorum quam agendorum. Propter quod dicit AUGUSTINUS in Sermone de laude caritatis: «*Totam magnitudinem et altitudinem divinatorum eloquiorum secunda possidet caritas, qua Deum proximumque diligimus*», ut infra dicitur, loquendo de auditore | huius scientiae.

Et ideo dicit AUGUSTINUS XIII^o De Trinitate: «*Habet scientia modum suum bonum, si quod in ea inflare solet aeternorum caritate vincatur*». Unde dicit BERNARDUS: «*Non probat apostolus multam scientiam si modum sciendi nescias. Modus autem | sciendi est ut scias quo ordine, quo studio, quo fine nosse quaecumque oportet: quo ordine, ut illud prius quod maturius ad salutem; quo studio, ut id ardentius | quod vehementius promovet ad amorem; quo fine, ut propter tuam et proximi utilitatem. Quidam enim student ut sciant, et curiositas est; quidam ut sciantur, et turpis vanitas est; quidam ut ditentur, et turpis quaestus est; quidam ut aedificent, et caritas est*». |

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, quod «scire est intellectus perfectio», dicendum quod in argumento est figura dictionis commutando quale in quid. Cum enim dicitur quod studendum est homini propter perfectionem intellectus, ‘perfectio’ stat ibi concrete, et supponit ibi ut quale. Sub hoc sensu studendum est homini propter perfectionem intellectus, id est, ut intellectus eius perfectus fiat. Supponit autem pro abstracto cum dicitur «scire est perfectio | intellectus», et ita ut quid. Scire enim est ipsa perfectio. Et ideo non sequitur conclusio pro abstracto quae pro concreto bene sequeretur. Haec est enim vera: studendum est homini ut sciat propter intellectus perfectionem, id est ut ipse intellectus sit perfectus. Illa tamen est falsa: studendum est homini ut sciat, id est propter ipsam scientiam sive propter ipsum scire. Licet enim scientia sit finis et perfectio intellectus — intellectus enim ultra scientiam nullo alio perficitur —, non tamen est finis sui ipsius ut sit propter se ipsam scientia vel ipsum scire, et sit ultimus finis, et in eo sit status, quia scire ordinatur ad perfectionem ulteriorem in homine, ut dictum est. |

Ad secundum, quod «scire est finis humani studii», dicendum quod de actu studii loquendum est dupliciter: uno modo secundum se et absolute, et sic solum verum est quod actus | studendi est propter scire, ut propter ultimum finem eius, quia studens ut studens studio suo nihil amplius quaerit suo actu studendi nisi scire; alio autem modo loquendum est de actu studii ut cadit sub intentione voluntatis imperantis ipsum; sic non est verum quod actus studendi est ad scire propter se, quia voluntas hominis bene regulata imperans actum studendi in homine finem actus studendi qui est scire, in finem ulteriorem intendit dirigere, qui est finis alterius actus, ut actus amoris ad quem ordinatur actus studendi, ut dictum est, et hoc modo protenditur quaestio. |

Ad tertium, quod «*studens propter se desiderat scire*», dicendum quod PHILOSOPHUS, qui hoc dixit, consideravit hominis perfectionem in habitibus et actibus | ex puris naturalibus acquisitis, aut per mores quoad virtutes practicas aut per studium quoad virtutes speculativas. Et ideo perfectionem | hominis in puris naturalibus statuens scire ex scientiis speculativis ultimam ponit hominis perfectionem. Et revera bene in hoc posuit, ut alibi videbitur. Et ideo dixit quia homo scire desideraret propter se. In hoc tamen quod in scire ex rebus naturalibus posuit consistere ultimam hominis perfectionem nec posse ulla ulteriori

perfici, in hoc erravit. Est enim ulterior perfectio illa quae consistit | in gratuita, quam homo natus est recipere, licet non ex puris naturalibus ad illam attingere possit, ut dictum est supra, et ad opus illius perfectionis gratuita, quod est dilectionis et caritatis, ordinatur omnis scientia, sive naturalis sive supernaturalis, quia ipsa plus fini ultimo coniungit, in quo consistit ultima perfectio. Hinc dicit HUGO super VII^{um} cap.^{um} Caelestis Hierarchiae: «*Dilectio superveniens | scientiae maior est. Plus enim Deus diligitur quam intelligitur. Intrat dilectio ubi scientia foris stab.*» |

QUAESTIO 7

UTRUM HOMO STUDIO SUO TERMINUM DEBEAT IMPONERE

Circa septimum arguitur quod homo studio suo in acquirendo scientiam terminum aliquando debet imponere.

Primo sic. APOSTOLUS dicit: «*Non plus sapere quam oportet sapere, | sed sapere ad sobrietatem*». Sed si terminus studio non esset imponendus, numquam contingeret tantum sapere quin plus oporteret sapere. Ergo etc.

Secundo sic. Proverbiorum XXIII^o | super illud «*Noli laborare ut diteris*», Glossa: «*scientia*». Et sequitur in textu: «*Sed prudentiae tuae pone modum*». Non autem esset ei ponendus modus scientiae, si studio terminus non esset imponendus. Ergo etc.

Contra est illud Ecclesiastici VI^o: «*Fili, a iuventute | excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam*». Sic autem facere numquam esset cessare secundum intentionem sapientis. Ergo etc.

Item. AUGUSTINUS I^o De Academicis dicit: «*Philosophia est cuius uberibus nulla aetas quaerit excludi*». Ergo etc. |

<SOLUTIO>

Dicendum ad hoc quod, cum ea quae sunt ad finem a fine determinari debent, et studium hominis in quacumque scientia finaliter ordinatur ad investigandum notitiam subiecti eius et eorum quae circa subiectum considerata sunt, in tantum procedendum esse studium requirit scientia quaelibet, quousque notitia subiecti et eorum quae circa ipsum considerata sunt haberi possint.

Notandum igitur quod circa hoc aliter | sentiendum est in studio

ARTICULUS V

Sacrae Scripturae et aliarum | scientiarum. Cum enim in Sacra Scriptura studendum est, ut hic proficiendo per fidem circa illa quae traduntur in | ea, perveniamus in futuro ad contuendum illa per speciem, in isto autem profectu quanto homo magis procedit, tanto magis proficit, et quanto amplius invenit, tanto amplius inveniendum sentit, in tali autem studio numquam est cessandum in via, quousque ad terminum aperte contuitionis perveniatur in patria, idcirco quantum ad studium Sacrae Scripturae absolute dicendum quod terminus studii in eo ponendus non est, immo dispositus et ordinatus ad hoc semper intentionem proficiendi amplius et amplius in ea habere debet, et hoc maxime ideo, quia scibile in ipsa est | infinitum, circa quod potest profectus procedere in infinitum, secundum quod dicit AUGUSTINUS Super I o a n n e m, parte II^a sermone IX^o: «*Divini cantici vox est: Quae-rite Dominum et vivet anima vestra. Quae-ramus inveniendum, quae-ramus inventum; ut inveniendus quaeratur, occultus est, ut inventus quaeratur, immensus est.* | Unde alibi dicitur: *Quaerite faciem eius semper.* Satiat enim quaerentem, in quantum capit, inveniensem capaciorem facit, ut rursus quaeratur implere ubi plus capere coeperit, quia *'cum consummaverit homo, tunc incipit'*, donec ad illam vitam veniamus, ubi sic impleamur ut capaciores non efficiamur, quia et perfecti erimus ut iam non proficiamus. Tunc enim ostendetur nobis quod sufficit nobis. Hic autem semper quaeramus non ut fructus inventionis non sit finis inquisitionis, sed ideo hic semper dicimus quaerendum, ne aliquando hic putemus ab inquisitione cessandum, atque ita quarendo tendamus, et inveniendo ad aliquid pervenimus, et ad id quod restat quaerendo et inveniendo transimus, quousque ibi fiat finis quaerendi, ubi perfectioni non superest intentio proficiendi». Et in sermone XLIII^o: «*Spiritus Sanctus nunc docet fideles quanta quisque potest capere spiritualia et in eorum desiderium magis accendit, si quisque in ea caritate proficiat qua et diligat | cognita et cognoscenda desideret, ita ut ea quoque ipsa quae nunc quaecumque cognoscit nondum se | scire sciat, quomodo scienda sunt in ea vita, quam nec | oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quo sciendi modo, si nunc ea vellet interior magister dicere, id est, nostrae menti aperire et monstrare, humana infirmitas | portare non posse*». Unde dicit CHRYSOSTOMUS in principio Super M a t t h a e u m: «*Non a pueritia eligi aliquos ad discendum iubentes, certum annorum numerum praefinientes ad consummandum studia | virtutum, sed cunctis generaliter aetatibus differentes*». | Unde ORIGENES in H o m i l i a, quomodo Abraham accepit Cethuram in uxorem, exponens quomodo sancti in extrema aetate | uxores duxerant, in typo sapientiae semper conquirendae, dicit sic: «*Patriarcharum coniugia mysticum aliquod indicant sacramentum. Abraham quamvis esset senex, hoc tamen sciebat, quod sapientiae nullus est finis, | nec discendi terminum senectus imponit. Sarae dormitio virtutis est intelligenda consummatio. Qui vero perfectae et consummatae virtutis est semper*

QUAESTIO 7

neesse est ut in aliqua eruditione versetur, quam eruditionem 'coniugem' eius sermo divinus appellat. Accepit ergo senex Abraham uxorem Cethuram. Maior enim ad sapientiam sensibus nostris capacitas inest, quando mortificatio Iesu circumfertur in corpore mortali. Quanto enim quis carne fessus est, tanto erit animi virtute robustior, et sapientiae complexibus aptior. Igitur ad tales nuptias per senectam | nullus excluditur, immo maturae aetati plus convenit. | Propter quod dicit DAVID in Psalm o: «*Laetetur cor quaerentium Dominum et confirmamini, quaerite faciem eius semper*». Quod exponit AUGUSTINUS XII^o De Trinitate in principio, dicens: «*Videtur quod semper quaeritur numquam inveniri. Et quomodo iam laetabitur et non potius contristabitur cor quaerentium, si non potuerint invenire quod quaerunt? Et quod inveniri possit dum quaeritur, testatur Isaias, cum dicit: 'Quaerite Dominum, et mox ut inveneritis, invocate illum'. An et inventus quaerendus est? Sic enim sunt incomprehensibilia quaerenda, ne se aestimet homo nihil invenisse, qui quam sit incomprehensibile quod quaerebat potuerit invenire. Cur ergo sic quaerit, si incomprehensibile comprehenditur esse quod quaerit nisi quia cessandum non est, quamdiu ipsa incomprehensibilium inquisitione proficitur, et melior meliorque fit quaerens tam magnum bonum, quod et inveniendum quaeritur, et quaerendum invenitur? Nam et quaeritur ut inveniatur dulcius, et invenitur ut quaeratur avidius. Secundum hoc accipi potest quod dictum est in Ecclesiastico: 'Qui me manducant, adhuc esurient, et qui me bibunt, adhuc sitiunt'. Manducant enim et bibunt, quia inveniunt, et quia esuriunt et sitiunt, adhuc quaerunt*». Et IX^o De Trinitate in principio: «*Tutissima est quaerentis intentio donec apprehendatur illud quo tendimus, si ea recta intentio est, quae proficiscitur a fide. Sic ergo quaeramus | tamquam inventuri et sic inveniamus tamquam quaesituri. 'Cum enim consummaverit homo, tunc incipit'*». Et hoc totum contingit propter scibilis infinitatem, secundum quod dicit HILARIUS De Trinitate: «*Incipe, percurrere, | persiste. Etsi non perventurum, gratulabor tamen profecturum. Qui enim pie infinita persequitur, | etsi non contingat aliquando, semper tamen proficiet*», et revera saltem in futuro attinget, secundum quod dicit AUGUSTINUS De dono perseverantiae: «*Bonae spei est homo, si eum sic proficientem dies ultimus huius vitae invenerit, ut adiciantur ei quae proficienti defuerint, et perficiendus quam puniendus potius indicetur*». Unde de profunditate | huius scientiae et infinitate scibilis in ea dicit AUGUSTINUS in Epistola ad Volusianum: «*Tanta est Christianarum profunditas litterarum*», etc., usque ibi, «*'cum consummaverit homo, tunc incipit'*» — longa est auctoritas, sed communis. Unde ORIGENES, exponens illud quod dicitur de Isaac Genesis XXV^o, «*Habitavit iuxta puteum | nomine viventis et videntis: Intelligentibus*», inquit, «*grandis est ista benedictio. Qui potest singula quae in lege et prophetis sunt scire, et intelligere, ille habitat 'ad puteum visionis'. Magnam benedictionem accepit Isaac, ut habitaret 'ad puteum visionis'*». Nos quando satis

ARTICULUS V

mereri poterimus, si forte transitum habere possimus per 'puteum visionis'? Certe si non potuero omnia intelligere, assideo tamen Scripturis divinis, et 'in lege Dei mediator die ac nocte', et omnino numquam desino inquirendo, discutiendo, tractando, certe, quod maximum est, orando, et ab illo poscendo intellectum 'qui docet hominem scientiam', videor et ego habitare 'ad puteum visionis'. Tu ergo si semper perscruteris propheticas visiones, si semper inquiras, semper discere cupias, haec mediteris, in his permanes, percipis et tu benedictionem a Domino, et habitas 'apud puteum visionis', et Dominus aperiet tibi scripturas».

In ceteris autem scientiis studio terminus est ponendus. | Cum enim, ut dictum est supra, in aliis scientiis studendum non est nisi in quantum utiles sunt, | et, ut infra dicitur, in tantum utiles sunt in quantum ad hanc Sacram Scripturam proficiunt, in tantum ergo studendum est unicuique; in aliis scientiis | in quantum ex hoc profectum poterit habere studendi consequenter in Scriptura Sacra, ne nimium immorando in aliis in illis tempus consumat per quod fructuosius in ista proficere posset, etiam si quis illis intendat, ut ad istam scientiam veniens amplius et pluribus proficiat, cum residuum temporis vitae suae ad capiendum ea quae sunt huius scientiae non sufficiat. «*Ridiculum est enim*», ut dicit AUGUSTINUS | in Epistola ad Dioscorum, «*cum propterea multa superflua didiceris, ut tibi aures hominum ad votum praeparentur, | ipsa necessaria non tenere, quibus superflua praeparaveris, et dum occuparis ut discas unde facias intentos, nolle discere quod infundatur intentis*»; et AUGUSTINUS De utilitate credendi: «*Intelligere superflua fortasse non nocet. Sed fortasse discere nocuit, cum tempus necessariorum occuparent*». Permittit tamen Deus curiosos diutius in illis immorari scientiis, ne tempore illo implicent se deterioribus, secundum quod dicitur Ecclesiastes III^o: «*Vidi afflictionem quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea. Cuncta enim bona in tempore suo, et mundum dedit disputationi eorum*», | ubi dicit Glossa: «*Propterea Deus dedit in praesenti etiam perversorum dogmatum magistros, concessit occupationem, ne mens eorum otiosa torpesceret. Deus enim fecit omne | bonum quod fecit. Sed in tempore suo bonum bonum est, numquam ulterius quam opus est*». Et ideo AUGUSTINUS, loquens de studio scientiarum saecularium, dicit II^o De doctrina christiana: «*In doctrinis quae apud gentes inveniuntur, | in omnibus tenendum est: 'Ne quid nimis'*», et De ordine libro II^o: «*Talis eruditio, si quis ea moderate utatur — nam nihil ibi quam nimium formidandum | est — talem philosophiae militem nutrit, ut ad summum illum modum ultra quem requirere aliquid nec possit, nec debeat, nec cupiat, perveniat*». Revera opus est cavere in studio scientiarum philosophicarum «*ne quid nimis*», quia, ut dicit II^o De doctrina christiana, «*plerumque accidit ut facilius homines res assequantur propter quas assequendas ista discuntur, quam talium*

QUAESTIO 7

praeceptorum nodosissimas disciplinas et spinosissimas». Et tamen, ut ipse subdit ibidem, quandoque miseros «magis in his omnibus ipsa spectamina veritatis delectant saepe». De quibus dicit CHRYSOSTOMUS libro I^o Super Matthaeum: «Plerique totos | dies peragunt propter illam occupationem vanissimam et multa detrimenta patiuntur. Et cum omni diligentia quod audierint memoriae commendant, eaque ad animi sui perniciem infixae custodiunt. Hic vero ubi loquitur Deus nec exiguum quidem tempus patienter expectent», ultimum scilicet senectutis. Quod tamen utile esset multum, secundum quod dicit AUGUSTINUS Ad Hieronymum, «Ad discendum quod opus est, nulla aetas sera videri potest, quia etsi senes magis decet docere quam discere, magis tamen discere quam quae doceant ignorare».

<AD ARGUMENTA>

Ad primum in oppositum, «non plus sapere quam oportet», dicendum quod semper oportet plus, non tamen | plus quam oportet, «sed ponere prudentiae nostrae modum», ut dicit secunda ratio. Et hoc fit semper pie secundum regulam fidei quaerendo, «non transgrediendo terminos quos posuerunt patres nostri», ut dicitur Proverborum XXII^o. Unde post illud Proverborum XXIII^{um} «Prudentiae tuae pone modum», statim sequitur: «Ne erigas oculos tuos»; Glossa: «mentis»; «ad opes quas non potes habere», Glossa: «divinitatis perscrutandas, quia caelestibus tantum civibus patens».

Per idem patet secundum. |